2

ANTONII RICARDI THEOLOGI RESPONSIO

AD

OBIECTIONES VINCENTIANAS:

QVA VINCENTII LENIS THERIACAM præſentiſsimum eſſe venenum demonſtratur.



PARISIIS,

Apud { SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Regentis Architypographum, ET GABRIELEM CRAMOISY. } viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XLVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO

FRANCIÆ

CANCELLARIO

PETRO SEGVIERIO.

QVID *Catholicæ veritatis defenſio ſperare à Te præſidij debeat* (CANCELLARIE ILLVSTRISSIME) *docuit me dignitas Tua virtúſque ſingularis. Sedes in eo magiſtratûs apice, quo altiorem fortuna non fecit, virtus non aſcendit; ſed qui Religioni pridem eſt addictus: ſæpe illum Ec-*

cleſiæ Principes, ſemper eiuſdem vindices tenuerunt. Tantæ dignitatis ſedem pietate ſic imples, vt fidei defenſores illos Religio non deſideret: ſingulos repræſentas vnus, nec quandiu viues eorum aliquem ſibi periiſſe putauerit. Tuum igitur hac in cauſa patrocinium meritò quærit, cùm alterius Cancellarij pietati debeat, quòd noua opinio ante damnata eſt in Galliis, quàm nata. Nam ſuperiori ſæculo, allaborante maximè Cancellario Pratenſi collectum eſt Lutetiæ Pariſiorum Senonenſe Concilium, quo præpoſtera hæc nouitas tam diſertè proſcribitur, vt illud abdicare palam noui dogmatis vindices, & in erroris

Vincentius libro 2 cap. 7. ſect. 7.

ſuſpicionem adducere cogantur. Quod etſi contumelioſum eſt in Gallicanam Eccleſiam, quæ Concilium illud probauit ſemper, atque vt Tridentinæ Synodi initium quoddam ac veluti præludium veneratã eſt, ab iis tamen tentatum non miror, cùm Romanis etiam Pontificibus ſint iniurioſi, querantúrque Pium V. & Gregorium XIII. Vincentius libro 1. initio cap. 7. ſua decreta obſcuriùs, quia eloquentiâ Philoſophorum ab aliquot iam ſæculis in Scholas Theologicas introductâ, edere. *Deſperatam planè cauſam, quæ ſtare non poteſt, quin Romanorum Pontificum oraculis contractam ex profana* Philoſophia *obſcuritatem,*

& Conciliorum decretis errorem obiiciat: Felicem verò noſtram, quæ veterem Eccleſiæ doctrinam defendit, adeòque Tuum iure patrocinium ſperat; cùm Regis illius ſis [a] manus, *qui* Eccleſiæ [b] brachium *eſt. Vale.*

[a] Ita S. Bernardus Cancellarium vocat.
[b] Innoc. III.

Lutetiæ Pariſiorum Kal. Decemb. 1647.

Illuſtriſsimæ Tuæ Amplitudini Addictiſsimus
ANTONIVS RICARDVS.

PRÆFATIO.

EMERSIT tandem formidoloſum illud opus, quod tandiu nouæ opinionis vindices parturiunt, tandiu nobis minantur. Prodiit atrox illa reſponſio, quâ ſumendas de Ricardo pœnas, & ſuſceptam ab eo liberi arbitrij defenſionem infringendam tam ſæpe, tam importunè gloriati ſunt. Quam varij annis adhinc duobus rumores ea de re diſſeminati? Aliàs Louanij opus illud procudi: aliàs deproperari Lutetiæ: aliàs emiſſum iam in lucem, & furtim ſerpere ferebatur. Sed inanes ad hanc diem, & ſteriles minæ fuerunt. Siue quòd Vincentius *Theriacam* ſuam venditare ſæpius voluit, antequam promeret: ſiue quòd telum librare perdiu, & ictum meditari debuit, antequam feriret.

Feriret autem? Me certè ne leui quidem vulnere perſtrinxit. Immo cùm mihi ac Petauio verbo tenus bellum indixerit, re tamen ipſa egregiam vtrique operam nauat. Quid enim gratificari nobis impenſiùs, aut qua in re impreſſionis noſtræ

vim atque robur commendare illuſtriùs potuit, quàm cùm pleraque Doctoris ſui placita eiurare coactus eſt, principémque adeo illius opinionem, de qua ſumma litis, & contentionis erat, Hæreticam eſſe, Caluinianam, & Summorum Pontificum, atque Conciliorum fulminibus afflatam profiteri. Fecit autem, quódque optari ne vix quidem à me potuiſſet, tam diſertis conceptíſque verbis fecit, quàm ſi conductus à nobis, & appoſitus huic cauſæ præuaricator accederet.

VINCENTIVS PRÆVARICATOR.

QVÆ hominis defectio, quamuis demonſtranda copioſiùs, & acriùs ſuo caſtiganda loco ſit, debet hîc tamen in anteceſſum perſtringi, vt Vincentij indoles rudioribus iam inde lineamentis adumbrata cernatur.

Diſputationis noſtræ caput fuit: an liberum arbitrium ea tantùm coactione perimatur, quæ in voluntatem cadere non poteſt. Ait noui dogmatis Faber, atque hanc eſſe Catholicæ Eccleſiæ doctrinam corrogatis vndique Sanctorum Patrum teſtimoniis probare nititur. Nos verò negamus, & eandem opinionem ab Eccleſia iamdudum in Wiclefi, Lutheri, & Caluini cauſa damnatam eſſe contédimus. Quid Vincentius? A duolat Ducis ſui profeſſus vindex, indignatur læſam eius doctrinam, fremit, æſtuat, minis, clamoribus, conuiciis bacchatur.

Nouus Doctor toto libro 6 de Gratia Christi.

bacchatur. Sed eò res omnis redit, vt in eandem opinionis illius cenſuram mecum ipſe conſpiret, atque adeo ſæpius repetat: *Erroneam eſſe, Hæreticam, & ab Eccleſia in Lutheranis, Caluiniſtis, Manichæis, Stoicis, Aſtrologis, Abailardo, & Wiclefo damnatam.* O præuaricatorem! ô transfugam!

Vincentius libro 2. cap. 5. ſect. 2. cap 7. ſect. 6. cap 3. ſect 1.

Neque verò à primaria tantùm nuperi dogmatis opinione deſciuit: alias quoque complures pariter abdicat. Fatetur Hæreticum eſſe, quod eius Antiſtes libro integro pugnaciſſimè defendit, nimirum, genuinam libertatis cum gratia efficaci conciliandæ rationem in eo poſitam eſſe, *quòd voluntas ſub gratia non ſe habeat mere paſſiuè, nec velut inanime quoddam.* Renũciat eidem affirmanti, his Concilij Tridentini verbis: *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentiri, ſi velit,* aliud nihil definiri, *quàm liberum arbitrium ſub gratia non nihil omninò agere.* Iſtud quoque eius decretum reſcindit: *nulla prorſus medicinalis Chriſti gratia caret effectu ſuo,* & veritatis luce conuictus docet, *Liberum arbitrium etiam ipſo facto quandóque gratiæ diſſentire.* Qui Principem ſuum in his, aliiſq; compluribus, turpiter deſerit, eiúſne vindex appellari debet, an proditor?

Vincent. lib. 2. cap. 5. ſect. 2. & cap 7 ſect. 1.

Nouus Doctor toto libro 8 de gratia Chriſti ac præcipuè cap. 17 & 21.

Vincent. lib. 2. cap. 7. ſect. 1.

Nouus Doctor libro 8 de gratia Chriſti cap. 17.

Nouus Doctor libro 2 de gratia Chriſti cap. 25.

Vincentius lib. 2. cap. 7. ſect. 1.

Quanquam iſtud Vincentio perfidiæ verti non debet: neque enim hæc eius defectio voluntatis fuit, ſed neceſſitatis. Doctoris quidem ſui defendendis opinionibus addixerat ſe ſe, atque deuouerat: ſed validioribus oppugnatas argumentis

vidit, quàm vt integras tueri, ac retinere poſſet. Quamobrem imitari nonnullos ſtatuit ex nouiſſima Lutheri Caluiníque ſobole, qui cum Principum ſuorum dogmata maximam partem abiecerint, *molliores* idcirco Lutherani, & Caluiniſtæ dicti ſunt.

HINC LENIS COGNOMINATVR.

MENTEM hanc ſuam vel ipſo *Lenis* cognomine quaſi profeſſus videtur. Nam cum duplex ſibi nomen impoſuerit, diuerſæ vtriúſque aſciſcendi rationes fuerunt. Vincentius quidem appellari voluit, vt hac veluti teſſera imitatorem ſe illius Vincentij proderet, qui Auguſtino horrenda quædam affinxit dogmata, quorum inuidiam à Sanctiſſimo Doctore depulit Proſper eo libello, cuius & doctrinam ſecutus ſum, & titulum mutuatus, cum perinde atque ille opus hoc meum inſcripſi: RESPONSIO AD OBIECTIONES VINCENTIANAS. Lenis verò cognominari amauit, non quòd moderatè mecum & leniter agere inſtituiſſet: Quis enim in diſputando inurbanior? quis atrocior in conuiciando? Sed quòd Magiſtri ſui rigorem lenire pluſculum, ac mitigare vellet: atque vt Melanchthon *mollior Lutherus*, ſic ipſe LENIOR IANSENIVS haberi.

Eodem fortaſſe pertinet, quòd opus ſuum *Theriacam* proſcripſit. Cùm enim auctore Galeno

Theriaca viperinas carnes admixtas habeat, ſed pharmacis aliis temperatas; ita Vincentianum opus ex venenatis Doctoris ſui opinionibus, ſed plurimùm mitigatis conflatum eſt. At quemadmodum venenum ille non theriacam parat, qui viperinum ſuccum non ſatis medicatum infundit: ſic cum peſtilentes Principis ſui opiniones lenitas quidem, ſed adhuc tamen crudiores, neque ſatis temperatas miſcuerit Vincentius, mortiferum ab eo virus Antidoti loco confectum eſt. Galenus, aut quis alius libro de Theriaca ad Piſones.

INDIDEM EST QVOD FVCVM *facere cogitur.*

SED quæ Theriacopolarum eſt indoles, ita præſtigiis inuoluit omnia, vt imperito cuíque facilè poſſit imponere. Cùm enim Principis ſui, quem prodit, iactet ſe vindicem, & in tuendo nouo dogmate, quod deſerit, operam ſuam deprædicet, ne tam verſuta conſilia Lector ſubodoretur, perpetuis eum artibus fallaciíſque deludit. Non eſt huius loci ventilare ſingulas: vt quæque occurret proferetur in lucem ſuis integumentis euoluta. Hîc eas tantùm attingo, quæ cùm fuſæ ſint in opus vniuerſum, animæque inſtar obtineant, in iis ſpirantem Auctoris mentem & expreſſum ingenium agnoſces.

Fidem noſtram perpetuò Vincentius accuſat: vix eſt in eius libro locus vllus, quo Doctori ſuo à

nobis imponi, & eius ſententias alienum in ſenſum deflecti non expoſtulet. Si ſincerè & bonâ fide ageret; proferret illa ipſa, quæ adulterata queritur, voces conferret vocibus, nóſque obſignatis, quod aiunt, tabulis reuinceret. Adeo iſtud non agit, vt in vtraque operis parte nulla Principis ſui verba, vocem nullam recitet, ſi locum exemeris vnum, quem ipſum ne in opere quidem, ſed in Epilogo deſcribit. Quæ, malum, hæ præſtigiæ? Conqueri interim, indignari, appellare ſuperûm & hominum fidem, clamare Antiſtitis ſui opiniones malignè explicari, vim fieri verbis, fucum ſententiis, & abhorrentia nimiùm quantùm ab eius mente dogmatum portenta quædam ipſi affingi. Eum ego verbis plerumque ſuis loquentem induxeram; cur ergo ea vel citata falsò, vel corrupta, vel iniquioribus interpretamentis detorta deſcriptis collatíſque locis ipſis non probabat? Quid eſt Theriacam vendere, & circulatorum in morem fucum facere, ſi hoc non eſt?

Aliud tibi callidæ indolis ſpecimen repræſento. Quibus S. Auguſtini aliorúmque Patrum teſtimoniis nouum dogma cófirmat eius architectus, eá quàm nihil noſtris partibus nocerent, quàm iuuarent pleraque demonſtraueram, non tam meis, quàm nobiliſſimorum Eccleſiæ defenſorum verbis, qui cum Caluiniſtis ſimili in argumento eadem obiectantibus congreſſi ſunt. Pri-

ma hæc eſſe Vincentij cura debuit, vt reſponſiones confutaret meas, ſuámq; his rationibus vim robúrque vindicaret. Quid agit? opus ſuum in partes tribuit duas: priore argumenta ſua profert, alterâ quibuſdam noſtris occurrit. Probabile ſanè atque ſpecioſum operis conſilium, ſed quod inſigni fallaciâ prætexitur. Illa enim argumenta ſua quæ iactat, quæ ſunt tandem? Non alia quàm quæ à nobis confutata fuerant: eadé S. Auguſtini teſtimonia magnificè oſtentat, & quaſi intacta eſſent de integro producit: quæ ſoluendis iis mihíque vindicandis attuli, adeo non infringit, vt ne meminerit quidem. Crederes nouam ab eo aciem inſtrui, & illa ipſa tamen eſt, quam Catholicorum cum Caluino confligentium viribus afflixeram. Annon iſtud eſt offuciis Lectorem illudere?

Latet in eadem priori parte fucus alter. Aliena multa intexit, quibus Lectoris animus aliò auocetur. Quærit, *an ad libertatem contrarietatis aut contradictionis, oporteat voluntatem, eo inſtanti quo ſe mouet, duplici iudicio intellectûs accinctã, & in vtrumque oppoſitum latus æquè proximè expeditam eſſe.* Diſputat *vtrum iudicium practicum practicum Peripateticorum contingentiam liberi effectûs impediat.* Quórſum iſta? nonne quæ de his capitibus, aliiſque eiuſdemmodi in ſtatu innocentiæ decreuerit, eadem à me in ſtatum naturæ lapſæ probante omni Theologia transferentur. Quæ libido tandem

Vincentius cap 23.

Cap. 29.

erat inutiles & ſuperfluas libro ſuo quæſtiones infarcire, vt eſſet ab illa farragine tumentior? Illud erat; paratam habebat ex Philoſophicis dictatis, & priuatis aliis commentationibus quæſtionum illarum ſupellectilem, eas intruſit paſſim, tum ne perirent ſibi, tum vt controuerſiam impediret, & perturbatis rebus elabi impunè poſſet.

Quanquam ſi ſuſpicari liceat, vix errauerit, qui aſſeret priorem librum, quantus quantus eſt, non conſcriptum in nos eſſe; ſed priuatis dudum otioſiſque commentationibus alio quodam conſilio elaboratum, atque huic operi oblatâ occaſione aſſutum. Neque enim par illius atque poſterioris forma, ſed ductu operis toto diſſident. Poſterior, quem in nos ſcriptum nemo ambigat, in capita diuiſus eſt, quæ rurſus eadem in ſectiones tribuuntur: prior ille alter, qui ſi Petauij & Ricardi nomina paſſim inculcata ſuſtuleris, nihil ad nos pertinet, in capita tantùm ſectus eſt. Si gemelli eſſent fratres ij, tantáne inter vtrumque diſſimilitudo foret? Si vnius eſſent corporis hæc membra duo, tantúmne à ſe inuicem diſcreparent? Quem mihi librum dabis, cuius ſit tam inæqualis forma?

RESPONSIONIS HVIVS PARTITIO.

AGGREDIOR tamen opus illud biforme, & quanquam aggredior totum, iis inſiſtam præcipuè, quæ Diſputationem de Libero arbitrio meam propriè impugnant. Nam ab ea quæ in

Petauium effutit, pœnas eidem pendet, ſentiet quam nemini vnquam impune licuerit heroem hunc impune laceſſere, quámque *ſit impar congreſſus Achilli.* Quæ me ſpectant capitibus nouem complectar.

Primum confutatis Vincentij reſponſionibus clariùs demonſtrat omnem noui Theologi doctrinam à recentioribus Hæreticis pudendo plagio arreptam eſſe.

Secundum, Vincentium profert Magiſtri ſui dogma inſigni præuaricatione Hæreſis condemnantem.

Tertium leniorem ipſam opinionem Vincentij, quâ Præceptoris ſui rigorem mitigat, nec à recentium Hæreticorum erroribus diſcrepare contendit.

Quartum molliorem eandem Vincentij doctrinam, quidquid ipſe reclamet, cum veterum Hæreticorum dogmatibus contendit.

Quintum illam ipſam, necquicquam reluctante Vincentio, iiſdem Conciliorum, ac Summorum Pontificum decretis ſubiicit, quibus Lutheri Caluiníque Hæreſis afflicta eſt.

Sextum friuolas Vincentij reſponſiones ventilat, quibus opinionem ſuam à recentium Theologorum cenſura defendit, quorum fuiſſe neminem probamus, qui Vincentianæ opinioni, ſiquidem eius meminerit, Hæreſeos notam non inurat.

Septimum recognoſcit Patrum teſtimonia, quibus dogma ſuum Vincentius confirmauit, probátque vel à Catholicis contra Caluinũ pugnantibus pridem ſoluta; vel ipſi Vincentio palam aduerſa, vel ab eo truncata fœdè, & indignum in modum adulterata.

Octauum explodit inanes Vincentij rationes, quibus tueri nititur impugnatum à nobis famoſum nouæ Theologiæ pronuntiatum decernentis, Deum impoſſibilia homini lapſo præcipere, eúmque pœnis æternis addicere ob ea peccata, quæ vitare non potuerit.

Nonum varia Vincentiani operis vitia, quæ ad illa faſtigia octo reuocari non potuerunt, ſtrictim delibat.

Hoc reſponſionis huius conſilium: hæc forma; quam vt pleniùs abſoluerem, eſſent iterum mihi deſcribenda Hæreticorum teſtimonia pleraque, quibus nouæ doctrinæ cum iis germanitatem contineri, in mea de libero arbitrio diſputatione oſtendebam. Sed ne vel actum agam, vel operam hac in parte meam iure deſideres, compendio tibi omnia repræſento: adſcribo Theologicas Theſes, quas cum aduersùs Caluinum, Lutherúmque defenderet Pater STEPHANVS DE CHAMPS Societatis IESV, præſens ipſe interfui. Has qui legerit, contra nouam opinionem propoſitas arbitrabitur, adeò illa cum Hæreticis omni ex parte conſentit.

THESES

THESES THEOLOGICÆ
DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO
PROPVGNATÆ A P. STEPHANO DECHAMPS Societatis IESV,

Lutetiæ in aula Theologiæ Claromontanæ.

Anno 1644. die 4. menſis Ianuarij.

I.

QVAM ineptè Caluinus Sorbonicis exprobrat *in decr. Sorb. a. 2.* eos humanam rationem, loco Spiritus ſancti: Ariſtotelem, SS. Patrum loco habere, quòd hominis arbitrium per æqualem ad oppoſita facultatem explicent: tam procaciter *l. 2. inſt.* ſimili de cauſa ſæpe illos Pelagianiſmi criminatur. Ampliùs inſanit Lutherus qui toto paſſim to. 2. eaſdem calumnias Catholicis omnibus impingit. Numquam ſcripturæ, Patres, aut Concilia aliam libertatis notionem vſurparunt, quàm quæ ab Philoſophis traditur: nec Pelagiani damnati ſunt, quòd illam retinerent.

II.

SI libertas coactioni tantùm opponitur, immeritò damnantur ab Eccleſia Vvicleſus, Lutherus & Caluinus, quòd liberum arbitrium negent. Nam omnes ſæpius inculcant quod habet Cal. *l. 2. in Pig. Si coactioni*, inquit, *opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium conſtanter aſſero, ac pro hæretico habeo quiſquis ſecus ſenſerit.* Addit Lutherus *l. de ſer. arb.* hoc dogmate, de voluntate neceſſitata, non coacta, rerum ſuarum ſummam contineri, eóque Romanæ fidei iugulum peti. Veriſſimè. Ruit Catholica fides, ſi ſola coactio libertatẽ tollit.

III.

AVGVSTINI teſtimoniis nemo ambitioſiùs vtitur, quàm Caluinus: nemo impudẽtiùs abutitur. *L. 2. inſt. c. 3. n. 5. & contra Pig. l.* 4. ex Auguſtino efficere conatur libertatem, quæ ad meritum aut demeritum requiritur, in eo præcisè & eſſentialiter poni, vt voluntariè, non coactè operemur. Nihil ab Auguſtini, Patrúmque mente, nihil ab veritate alienum magis. Si liberum, & voluntarium idem ſunt, inanis eſt, ac ridicula Auguſtini, aliórumque Patrum,

in Aſtrologos, in fatum, in diuinæ præſcientiæ, humanęque libertatis hoſtes diſputatio.

IV.

APPLAVDIT ſibi Caluinus in explicanda Dæmonum, Angelorum, Deíque libertate, *ibidem*, vnde inuictum, vt iactat, argumentum trahit, ad probandum coactionem ſolam libertati ad laudem requiſitæ aduerſari. Abſurdè: cùm ex Eccleſiæ ſenſu nec Deus, nec Chriſtus, nec Angelus, nec Dæmon liberè agant, dum neceſſariò agunt. Abſurdius eſt quod docet Vviclef. *Trial. cap.* 28. *&* 1. Patrem & Filium liberè producere Spiritum ſanctum, quia volentes producunt; Deum habere ſuâ in poteſtate, quæ ſunt abſolutè impoſſibilia, *quia*, inquit, *poteſt illa, ſi velit.*

V.

QVO ſenſu libertatem Hæretici negent, quo ſenſu Tridentinum illam adſtruat, his verbis Caluinus exponit, *in can.* 5. *ſeſſ.* 6. *Quia*, inquit, *Tridentini Patres per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ ſit in vtramque partem ſoluta: qui illud titulum ſine re eſſe affirmat, Chriſtum habet auctorem & Auguſtinum.* Hoc pro-

bat ex captiuitate arbitrij, dominatu concupiſcentiæ, & gratiæ liberatricis naturâ; concludítque perijſſe libertatis indifferentiam. Imperitè. Hæc omnia debilitatam arbitrij indifferentiam probant, ſublatam non probant.

VI.

INSIGNIS eſt Lutheri cauillatio, in homine lapſo *mutabile arbitrium, ac vertibile, non liberum* admittentis *lib. de ſer. arb. pag.* 468. 476. quòd voluntas hoc in ſtatu, non ad bonum, vt Angeli, nec ad malum, vt Dæmones, immutabiliter adhæreat: ſed modò bonum, modò malum amplectatur: ſic tamen, inquit, vt cùm vnum vult, neceſſariò illud velit. Reclamant Scripturæ, & Patres, qui cùm homini lapſo ineſſe libertatis indifferentiam pronuntiant, non mutabilitatem illam, ſed vtriuſque partis eligendæ poteſtatem intelligunt.

VII.

DELIRAT Caluinus, cùm docet *lib.* 2. *inſt. cap.* 5. *n.* 1. bene agendi impotentiam, peccandíque neceſſitatem, quâ homines teneri falsò putat, à peccato non excuſare, quòd originalis peccati pœna ſit. Quem

errorem ſuo more Auguſtino affingit, & contrariam opinionem ſolenne Pelagianorum dogma fuiſſe mentitur. Nemo vnquam peccat in eo quod cauere non poteſt, nec ad peccatum ſatis eſt, vt libenter fiat: debet ita committi (quidquid in contrarium garriat Caluinus) vt poſſit non committi.

VIII.

SOBRIVSNE erat Lutherus, cùm ſcribens in cap. 12. Geneſ. Papæ ſcholis, & Rmanæ Eccleſiæ Theologis cæcitatem exprobrauit, quòd vno conſenſu inuincibilem ignorantiam mereri excuſationem ſtatuant? quâ ſententiâ tôlli è mundo iuſtitiæ ſolem, & ſcripturas omnes, fidémque Catholicam euerti clamat. Certum eſt ignorantiam, & obliuionem quæ voluntariæ non ſunt culpâ vacare; neque hac in re alia ratio eſt ignorantiæ iuris naturalis, & iuris poſitiui; vtraque, ſi inuincibilis eſt, peccatum excuſat.

IX.

RELIGIOSVM ſanè piúmque Caluinum! qui *in ant. ad ſeſſ. 6. can.* 25. *&* 31. opera omnia, quæ ex perfecto Dei amore non

ſiunt, vt flagitioſa condemnat. Breui hac ſententiâ, quam ex Auguſtino deprompτam ſingit, multos Concilij Tridentini canones labefactari putat. Nugæ. Ex Eccleſiæ, Patrúmque ſenſu ſanctè operatur, qui intuitu æternæ mercedis operatur; honeſtè Deum amat, qui illum amore concupiſcentiæ amat; nec ſpem Chriſtianam deprimit, qui illam à perfectæ charitatis motiuo ſeiungit.

X.

PROSCRIPTA eſt à Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. & cân. 5. Lutheri ſententia ſtatuentis *aſſer. 6. in Bull. Leonis X.* dolorem ex metu pœnæ, non ex charitate conceptum, fictum eſſe, & vitioſum. Certum eſt poſſe ex timore pœnæ ita vitari peccatum, vt nullum aliunde peccatum incurratur; certum quoque attritionem, peccati voluntatem omnem excludere poſſe, nec ex proprijs naturæ viribus, ſed ab vera Chriſti gratia proficiſci; adeóque diſpoſitionem eſſe ſufficientem ad iuſtificationem in Sacramento recipiendam: quæ omnia Papiſtarum errores Lutherus vocat, *ſer. de pœn.*

XI.

CALVINO non placet canon 7. ſeſſ. 6. Trid. quòd in eo opinionem ſuam damnari putet, quâ ſtatuit opera omnia, quæ ex fide Theologica non fiunt, eſſe peccata. Multis Auguſtini teſtimonijs canonem illum oppugnat quibus doceri contendit bona opera, vel ſolius fidei Theologicæ abſentiâ in peccatum verti. Turpiter hallucinatur. Nunquam Auguſtinus ceteríque Patres negauerunt bonum aliquod opus ante ſuſceptam fidem fieri poſſe; multo minùs aſſeruerunt nullum ab fidem non habente, aut hæretico, peccatum ſine peccato vitari poſſe.

XII.

QVA fronte Lutherus & Melancthon, Romanæ Eccleſiæ Theologos erroris, ac Pelagianiſmi criminantur? *Lut. in Bull. Leo. a. 6. & 36. quem explicat Mel. in eius apol* quòd aſſerant dari amorem Dei naturalem, medium inter cupiditatem vitioſam, & charitatem: liberum arbitrium aliquid boni poſſe ſine inſpiratione charitatis ſupernaturalis. Hæc duo Catholicæ fidei apprimè conſentiunt: nec ſola inſpiratio

charitatis vera eſt Chriſti gratia, vt pugnat Melánchon, id quoque conuenit alijs voluntatis motionibus.

XIII.

GRATIAM ſufficientem vt monſtrum aliquod Caluinus execratur. Hinc *l. 2. inſt. cap. 2. & 3.* in ætatis ſuæ Sorbonicos, quòd illam gratiam admitterent, atrociter inuehitur, eóſque phreneticos, Sophiſtas, & Neo-Pe lagianos vocat. Multiplici ratione conſtat, & euidentiſſimis ſacræ Scripturę Patrúmque teſtimonijs, atque adeo ipſius Doctoris gratię Auguſtini auctoritate manifeſtum eſt non omnes gratias effectum ſortiri; ſed dari multas non reprobis tantùm, ſed etiam prędeſtinatis ſufficientes quidem, non tamen efficaces.

XIV.

PESSIME de humano genere meretur Caluinus, qui *lib. 3. inſt. cap. 24. & in 1. ad Tim.* Deum negat velle omnes homines ſaluos fieri, qua in re pueriliter hallucinatur, cùm illud Apoſtoli, vult omnes homines ſaluos fieri, de ſingulis hominibus nonniſi pueriliter explicari poſſe contendit. Grauiùs errant eius ſectarij *Syn. contra remonſt.*

monſt. cap. 2. *a.* 6. qui illâ explicatione labefactari Catholicam fidem, & Pelagianiſmum inſtaurari garriunt. Ineptè: cùm ſancti Patres Græci Latiníque hanc interpretationem probarint.

XV.

CHRISTI merita Caluinus eleuat, dum ſcribens in cap. 17. Ioan. audacter aſſerit illum pro omnibus hominibus nec orâſſe Patrem, nec mortem obijſſe. Aduerſatur huic dogmati Tridentini definitio, & manifeſta Scripturæ Patrúmque auctoritas, qui docent Chriſtum morte ſuâ reprobis omnibus gratias ſaltem ſufficientes promeruiſſe. Hinc certum eſſe conſtat, quod præfractè Caluinus inficiatur, nemini adulto obcæcato licèt, indurato, ac rebelli, deeſſe gratias ad fidem, ſalutémque conſequendam.

XVI.

OBSTREPAT licèt Caluinus, & id Pelagianum eſſe ſucclamet *lib.* 2. *inſt. c.* 7. *n.* 5. certùm eſt Deum nihil per Legem Iudæis imperâſſe, cuius implendi gratiam ſufficientem illis non dederit: neque vnquam Auguſtinus ita legem à gratiâ ſejungit, vt

hominibus ſub lege viuentibus nullum dari auxilium gratiæ, ad peccatum vitandum, ſalutémque conſequendam voluerit. Multò minùs ſtatum veteris teſtamenti, vt talis, non ſalutis, & iuſtitiæ, ſed peccati, & mortis eſſe docuit. Quod illi Caluinus affingit.

XVII.

MANICHÆORVM impietatem Caluinus renouat *L. 2. cap. 5. n. 6. & cap. 7. à n. 7. ad* 12. vbi veterem legem eo tantùm conſilio datam putat, vt præuaricatores, & reos faceret, vt hominum cupiditates prohibitione accenderet, eóſque peccatorum grauitate & multitudine, infirmitatis conuinceret. Quæ omnia vt legiſlatoris bonitati, ſic Patrum opinioni repugnant: nec vnquam Patres docuerunt, Deum legem tuliſſe, vt Iudæi eius promiſſionibus illecti, res illas, quas vitioſo amore diligebant, à Deo, non à Dæmonibus quærerent.

XVIII.

SACRILEGA eſt, & impia Caluini Lutheríque ſententia, quâ ſtatuunt *Calu. in ant. ad cap. vt numerat* 12. *ſeſſ.* 6. *Luth. in Latom.* eſſe in lege gratiæ quædam homini præcepta, illi ſecundum ſtatum, & vires,

in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia, & eam impotentiam in fidelibus etiam reperiri, nec tantùm quando nolunt præcepta implere, ſed etiam quando volunt. Qua in re palmaris eſt Caluini impudentia, qui in tanti erroris patrocinium Auguſtinum vocat, & contrariam Tridentini Concilij ſententiam vt Pelagianam, & Epicuream traducit.

XIX.

NVGATVR, aut deſipit Caluinus, dum *lib. 2. inſt. cap. 5. n. 4.* pluribus contendit diuina præcepta, etſi ſint obſeruatu impoſſibilia, fruſtrà tamen non eſſe, quòd per illa homines infirmitatis admoneantur ſuæ, gratiæ neceſſitatem intelligant, & in die iudicij magis reddantur inexcuſabiles. Stolidè. Deſtitutis gratiâ ſufficienti fruſtra imponuntur præcepta, dantur conſilia, exhortationes, ac minæ adhibentur: ijſdem non modò fruſtra, ſed & crudeliter exprobrantur peccata, & pœnæ infliguntur.

XX.

QVIS Caluino credat affirmanti *lib. 2. inſt. cap. 3. n. 10. gratiam Chriſti voluntatem mouere non qualiter,* inquit, *multis ſæ-*

culis traditum eſt, & creditum, vt noſtræ poſtea ſit electionis, motioni obtemperare, aut refragari; Quod *n.* 9. ex Sanctorum orationibus probat, quibus non poſſe, ſed ipſum velle à Deo petitur. & *n.* 13. pluribus contendit hanc eſſe Auguſtini mentem. *Ne*, inquit, *ætatis noſtræ Pelagiani Sorbonici Sophiſtæ totam vetuſtatem nobis aduerſam criminentur: in quo patrem ſuum Pelagium imitantur.* Hæc omnia ſolidè falſa ſunt.

XXI.

NVLLVM Concilij Trid. caput acriùs oppugnat Caluinus, quàm 5. ſeſſ. 6. vbi definitur voluntatem ſic moueri à gratia, vt eam abijcere illíque diſſentire poſſit. Hoc decretum, vt ineptum, Pelagianum, & ſophiſticum carpit, illíque plurimos Auguſtini locos opponit, quibus doceri contendit, gratiam Chriſti effectum ſemper ſortiri, reſpui non poſſe, voluntatem indeclinabiliter, & inſeparabiliter mouere, actionis eſſe non poſſibilitatis. Qui loci omnes gratiæ neceſſitatem inferenti adeo nihil fauent, vt illam euertant.

XXII.

CALVINVS *lib.* 2. *inſt. cap.* 3. *n.* 13. *& in*

ant. ſeſſ. 6. cap. vt numerat 6. Sorbonicis, Tridentiniſque patribus inſultat, eóſque turpiſſimè hallucinari garrit, quòd neſciant diſcrimen gratiæ voluntatis ſanæ, à gratia medicinali, in eo ab Aug. poni, vt hæc voluntati neceſſitatem agendi afferat, illa verò indifferentem relinquat. Mentitur impudentiſſimè. Nunquam id Auguſtinus docuit; nec ſimilirer voluit adiutorium ſine quo non, ita voluntatis ſanæ proprium eſſe, vt ægrotæ non competat: aut contrà, adiutorium quo, ita conuenire voluntati ægrotæ, vt nullum ſanæ datum ſit.

XXIII.

TRIDENTINIS Patribus Caluinus iraſcitur, eóſque, ſi ſuperis placet, impietatis, Pelagianiſmi, & ſupinæ in Auguſtini doctrina ignorantiæ conuincit *in ant. ad ſ. 6.* quòd laudis aliquid ex opere bono homini tribuendum putent, quòd aſſerant gratiæ receptionem ab arbitrij libertate pendere; Deum nunquam deſerere iuſtificatos, niſi ipſi eius gratijs actualibus defuerint. Quæ omnia tam certa ſunt, vt nonniſi ab Caluino negari potuerint.

XXIV.

Facit imperitè Armachanus Caluiniſta, dum *lib. de Gotteſc. cap.* 2. nullam vnquam Prędeſtinatianorum hęreſim extitiſſe contendit; ſed Auguſtini inimicos eo nomine eius de prædeſtinatione doctrinam infamâſſe: facit malitioſè, dum Pelagianos eſſe pugnat eos, qui negant Deum homines adultos reprobare ante præuiſam illorum finalem impœnitentiam, & actualium peccatorum demerita. Hæc ſententia ex Scriptura, Concilijs, Patribus, & ratione, certa iam, & indubitata videtur.

SYLLABVS CAPITVM.

CAPVT PRIMVM.

AN nouus Doctor ſuas omnes opiniones, earúmque fundamenta omnia, conſectaria & effugia ex Hæreticis recentioribus arripuerit. pag. 1.

SECTIO I. Vincentius furti accuſationem nouo Doctori intentatam reſponſione ſua confirmat potiùs, quàm fingit. pag. 2.

SECTIO II. Deſperauit Vincentius refelli poſſe, quod demonſtraueram, nihil inſigne in nouo Doctore reperiri, quod totidem ferè verbis apud Lutherum, aut Caluinum non legatur. pag. 8.

CAPVT SECVNDVM.

NOVVM Doctorem cum Hæreticis conſpirare Vincentius ipſe diſertiſſimè profitetur. pag. 13.

SECTIO I. Noui Doctoris de libertate ſententia, vel ipſius Vincentij iudicio, in antiquorum & recentium Hæreticorum opinionem incidit. 13.

SECTIO II. Demonſtratur ampliùs opinionem illam, quæ à Vincentio vt Hæretica proſcribitur, noui Doctoris opinionem eſſe. 16.

SECTIO III. Occurritur difficultati, tandémque concluditur Vincentium inſigni præuaricatione ſuſceptam Doctoris ſui cauſam prodidiſſe. 20.

CAPVT TERTIVM.

NEC ipſa Vincentij opinio ab recentium Hæreticorum erroribus diſcrepat. 23.

Sectio I. *Quid Vincentius inter ſuam & Hæreticorum opinionem intereſſe dicat.* 24

Sectio II. *Suaris auctoritate ineptiſſimè Vincentius abutitur, vt opinionem ſuam ab Hæreticorum errore ſeiungat.* 27

Sectio III. *Quàm fraudulenter & inſidiosè Vincentius agat, vt neceſſitatem illam, quâ vnâ libertatem extingui defendit, in voluntatem cadere probet.* 29

Sectio IIII. *Multiplex Vincentij infidelitas, eiúſque cum Caluini opinione conſenſus clariſſimè demonſtratur. pag.* 33

Sectio V. *Quid ſit diſcriminis inter Vincentij opinionem & Lutheranorum Hæreſim.* 38

CAPVT QVARTVM.

Vincentii *opinionem nihil à veterum Hæreticorum erroribus diſcrepare.* 42

Sectio I. *Non diſtat ab ijs Hæreticis qui fato, vel Diuinâ præſcientiâ libertatem euerti fingebant.* 42

Sectio II. *Vincentius perinde ac Aſtrologi liberum arbitrium euertit.* 46

Sectio III. *Vincentij opinio re ipſa conſentit cum illorum Hæreſi qui liberum arbitrium Diuinâ gratiâ deleri putauerunt.* 50

Sectio IIII. *Vincentij opinio in Manichæorum errorem incidit.* 52

Sectio V. *Refellitur altera Vincentij reſponſio, quâ ſe à Manichæis ſegregat, eiúſque multiplex inſcitia benignè caſtigatur.* 57

CAPVT QVINTVM.

Novam *opinionem ab iiſdem Conciliis atque Pontificibus damnari, quibus Lutheri Caluiníque Hæreſis proſcripta eſt.* 64

Sectio I.

Sectio I. *Tria præmittit Vincentius ad Tridentini canonis explicationem, quorum primum noui dogmatis principem confodit: ſecundum Caluino aduersùs Tridentinos Patres pugnanti fauet: tertium cum ipſius Vincentij placitis pugnat.* 65.

Sectio II. *Geminam Tridentino canoni explicationem Vincentius adhibet, quarum altera nouum dogma labefactat: altera à communi Theologorum omnium ſenſu abhorret.* 71.

Sectio III. *Alterum Concilij Tridentini locum immani deprauatione Vincentius corrumpit.* 75.

Sectio IV. *Multiplex Vincentij calumnia retunditur, probatúrque eum repugnare Tridentino decernenti ineſſe aliquid meriti bonis noſtris operibus: nec Dei mandata eſſe impoſſibilia.* 79.

Sectio V. *Defenditur Concilij Senonenſis auctoritas, & ab eo Vincentij opinionē proſcriptam eſſe demonſtratur.* 83

Sectio VI. *Vincentij in poſteriores Romanos Pontifices contumelioſiſſima vox caſtigatur, eiúſque opinionem ab ijs damnari oſtenditur.* 89.

CAPVT SEXTVM.

Refellvntvr *nugaciſſimæ Vincentij reſponſiones, quibus contendit nouum dogma à recentioribus Theologis non damnari.* 95.

Sectio I. *Retunditur inſulſa Vincentij reſponſio ad eum S. Thomæ locum, quo diſertè nouum dogma Hæreticum eſſe pronuntiat.* 95.

Sectio II. *Galli Doctores Vincentij opinionem, vt Hæreticam, & Caluinianam reijciunt.* 100.

Sectio III. *Ventilantur ridiculæ Vincentij exceptiones, quibus Belgarum Theologorum cenſuram eludit.* 103.

Sectio IV. *Futiliſſima Vincentij reſponſa, quibus opinionem ſuam ab Hiſpanis Italíſque Doctoribus non proſcribi contendit.* 107.

ĩi

Sectio V. *Vel ipſi Theologi, ad quos Vincentius prouocat, eius opinionem damnant: atque vt illam communi conſenſu Hæretici amplectuntur: ita eandem Catholici repudiant.* 110.

CAPVT SEPTIMVM.

Quæ *ex Patribus Vincentius profert, vel à Catholicis contra Caluinum pugnantibus clariſſimè ſoluuntur, vel eius dogmati manifeſtè repugnant.* 116.

Sectio I. *Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ pro ſua opinione Caluiniſtæ proferunt, Vincentius nobis obÿcit, diſſimulatâ clariſſimâ eorum ſolutione, quam ex Catholicis Doctoribus protuleram.* 117.

Sectio II. *Palmaris Vincentÿ imprudentia & infidelitas in alÿs S. Auguſtini locis proferendis.* 122.

CAPVT OCTAVVM.

Expendvntvr, *quæ Vincentius profert, vt defendat, Deum impoſſibilia præcipere, & hominem iuſtè damnari ob peccata quæ vitare non potuit.* 127.

Sectio I. *Multa peccat Vincentius in hoc Caluini dogmate inſtaurando.* 127.

Sectio II. *Vana ſunt & futilia quæ Vincentius diſſerit, vt exemplum ſerui fractis pedibus ambulare iuſſi eludat.* 132.

Sectio III. *Ex Vincentÿ opinione ſequitur peccatum originale baptizatis ſincerè à Deo non remitti.* 141.

Sectio IV. *Noua argumenta ex arcanis nuperæ Doctrinæ placitis accerſita, quibus eadem ſuſque deque euertitur.* 143.

Sectio V. *Fruſtra pugnat Vincentius ſoluendum nobis eſſe, quod de ſeruo fractis pedibus ambulare iuſſo obiecimus.* 146.

Sectio VI. *Quid de illa quæſt. S. Thomas sẽtiat.* 154.

CAPVT NONVM.

RELIQVA *Vincentiani operis vitia indicantur.* 159.
SECTIO I. *Vincentÿ conuicia.* 159.
SECTIO II. *Vincentÿ calumniæ.* 162.
SECTIO III. *Vincentÿ fraudes.* 168.
SECTIO IV. *Vincentÿ nugæ.* 175.

RESPONSIONIS CLAVSVLA AD VINCENTIVM. 179.

ANTONII
RICARDI
THEOLOGI
RESPONSIO
AD
OBIECTIONES VINCENTIANAS.

CAPVT PRIMVM.

An nouus Doctor ſuas omnes opiniones, earúmque fundamenta omnia, conſectaria & effugia ex Hæreticis recentioribus arripuerit.

ADSVM Vincenti: neque, vt fingebas, *trepidus & metu exanguis* certamen defugio. Maiores mihi animos cauſæ noſtræ bonitas facit, quàm vt tuis terreri minis, nedum frangi poſſim. Profiteris & inculcas in operis aditu ipſo, te in hanc arenam hoc maximè conſilio deſcendiſſe, vt inuſtam à me Doctori tuo plagij maculam abſtergeres. Age ergo, fidem libera, téque in hoc Vincentius in Præfat.

primo conflictu *fortem ac generoſum duellatorem,* qualis tute videri vis, exhibe: neque enim ex eo victoriæ tantùm omen aliquod, ſed partem illius maximam pendere voluiſti.

SECTIO I.

Vincentius furti accuſationem nouo Doctori intentatam reſponſione ſua confirmat potiùs, quàm infringit.

Vincent. l. 1. cap. 5. SVa iam Vincentio lenitas excidit: ardet, fremit, iraſcitur. Quid ita? Ferre non poteſt me nouæ opinionis Principem de furtis & rapinis appellare. Amo te hac indole, mi Vincenti, generoſus es, qui tam pudendum Doctori tuo crimen impingi non pateris. Furit ergo iratus Lenis: & quaſi meditatę vltioni par vnus non eſſet, doctos omnes ſubſidio aduocat, cóſque hortatur *meum vt in librum deſpuant.* Tum vbi iracundiæ impetus reſedit, caſtigat ſeipſum, méque ſic admonet: *Niſi lenitatis meminiſſem altiori voce te alloquerer.* Multùm debeo lenitati tuæ; nam ſi *altiori* illa atque Stẽtorea voce intonuiſſes: næ ego periiſſem protinus, aut ſaltem fragore tam immani obtuſæ aures meæ in æternum tinniiſſent.

Sed vereor vt qui lenitatis inter iraſcendum meminiſti, propoſiti obliuiſcaris tui. Statueras omnem latrocinij ſuſpicionem à Principe tuo depellere; oſtẽde ergo calumniari me dum pugno, eum in Caluiniſtarum libris impune latrocinari: dum infames eius rapinas, & pudenda furta ſigillatim euoluo: dum pluribus contendo famoſum illud vtriuſque gratiæ diſcrimen, quod opinionis ſuæ clauim appellat, quódque recentioribus Theologis ignotum eſſe fingit, ex Caluino & eius Curialibus eſſe depromptum: dum demonſtro indidem fluxiſſe omnia, quæ ſibi ambitioſiùs arrogat: nimirum, quæ

de gratia ſufficienti, de inuincibili ignorantia, de Auguſtiniana peccati definitione, de Prædeſtinatiana hæreſi, déque aliis nouæ opinionis myſteriis, quaſi ex ſuo nata ingenio magnificè oſtentat?

Quid ad hæc ſiles Vincenti? Quid obmuteſcis? cur hæc omnia quæ ſigillatim perſequor, & pluribus Hæreticorum teſtimoniis cõfirmo, ſigillatim non refellis? Hæc eſt enim, opinor, certa & vnica tam ſeriæ, & ex legibus inſtitutæ accuſationis confutandæ ratio. Silet tamen, neque in toto opere ſuo ſingula hæc latrocinia tam innumera, tam manifeſta excuſare nititur. Pauca tantùm vniuersè præſcribit, quibus, ſi ſuperis placet, omnem accuſationi meæ fidem abrogabit, & inuſtam Doctori ſuo plagij notam penitus abſterget

Primò, ita me cõpellat: *Non recordaris ab eo ſcriptam* (de Præceptore ſuo loquitur) *ſe annos duos & viginti in fabricando opere ſuo per labores & ſudores multos inſumpſiſſe.* Recordor enimuero, & tantùm temporis illi periiſſe doleo. Sed quorſum iſtud? *An fortaſſe*, inquit, *vniuerſum hoc tempus Caluini aut Lutheri lectionibus dices impenſum fuiſſe?* Quidni dicam? cùm in decumano eius opere vix aliquid occurrat, quod non ſit ex Luthero aut Caluino accerſitum: cùm eadem placita, eadem argumenta, eadem S. Auguſtini teſtimonia, in eiuſdem doctrinæ corpus collecta, eodem digeſtã ordine, iiſdem interpretamentis deprauata, iiſdem mutilata fraudibus, eadem mente, ſenſu eodem, iiſdem aſtruendis dogmatis adhibita in vtriuſque Hereſiarchæ operibus legantur? Quidni, inquam, tantum temporis poſitum ab eo putem, partim in operis ſui materia ex iis conquirenda, partim in elaboranda eadem, & nouis artibus propriè ſuis diſſimulanda?

Formidabili huic argumento aliud eiuſdem roboris attexit: *Hoc etiam*, inquit, *ab amicis & conſciis rerum eius teſtor me intellexiſſe, illum neque Melanchthonem, neque Bucerum, neque Chemnitium, neque Piſcatorem, neque*

Hieronymum Zanchium, neque Chamierum, neque pleroſque alios nigros huius aut præteriti æui homines in Bibliotheca ſua habuiſſe. Hominem laudo: quòd eos potiùs imitatus ſit, qui Hæreticos ſecretiorem in locum, ſic tanquam in carcerem compingunt, quàm qui eoſdem ſua in Bibliotheca cum aliis promiſcuè auctoribus volunt habitare. Atenim eos prorſus non habuit. Túne illud affirmare auſis, qui ab eius amicis tantùm accepiſti, *in Bibliotheca ſua non habuiſſe?* Sed eſto, prorſus non habuerit. *Inde*, ais, *ferè certum eſt eos nunquam legiſſe aut vidiſſe, quia non erat homo, qui alienis libris vnquam vti ſoleret.* Heu me! Quid agam? Ruit hoc vno argumento quidquid ad nouæ opinionis parentem furti conuincendum operosè congeſſi.

Quanquam, mi Vincenti, non facilè probaueris, cum nullos vnquam libros *legiſſe aut vidiſſe* niſi ſuos: & probaueris licèt, non eum tamen omni prorſus furti ſuſpicione abſolues. Neque enim inter *illos nigros homines*, quos in eius Bibliotheca fuiſſe negas, appellaſti Lutherum, Caluinum, Bezam, Iacobum Vſſerium, Petrum Molinæum, & Ioannem Scarpium, quos ab eo ita expilatos eſſe conſtat, nihil vt prorſus de Chriſti morte contra communem opinionem ſcribat, quod non ſit ex Theodoro Beza emendicatum: nihil de Prædeſtinatiana hæreſi, quod ex Iacobo Vſſerio non mutuetur: nihil denique de ſingulis opinionis ſuæ partibus, quod multò antè Lutherus, Caluinus, Scarpius, Molinæus non ſcripſerint. Alios ego non addo complures, quorum in operibus tantâ audaciâ prædatur, vt negare non ſis auſus eos in eius Bibliotheca reperiri: vnum commemoro Sariſburienſem, cuius præfatio à procemiali Doctoris tui libro hoc tantùm, vel te iudice, diſcrepat, quòd hic *plenior* ſit, illa *ieiunior*.

Vincent. lib. 1. cap. 5. Sect. 5. Habet tamen Vincentius, quò elabatur: *Vix quidquam Lutheri*, inquit, *apud eum fuit.* Vix quidquam? Fuit ergo aliquid certè: & quidem ad hominis cōſilium

ſatis, ſi ea duntaxat penes eum Lutheri opuſcula fuerunt, quæ de libero arbitrio, & finitimis quæſtionibus tractant, ex quibus deciſas ab eo lacinias, operíque intextas ſuo conuicimus. Caruerit cæteris huius Sycophantæ commentariis: ea non habuerit, quibus ſummi Pontificis auctoritatem arrodit, Eccleſiæ ſacramenta vellicat, & in alia Religionis noſtræ myſteria furiosè debacchatur; quid hoc noſtræ diſputationis intereſt?

At de Caluino, quid finges? *Caluini opera*, inquis, *ſerò, vt audiuimus, ſibi comparauit, & vbi ad publicam cathedram in Academia Louanienſi eſt promotus.* Enimuero tibi credendum eſt: Audiſti. Sed quidquid audieris, an continuò verum eſt? Gaudéntne hoc priuilegio aures tuæ, vt ad eas appellere mendacium, & aſpirare non poſſit? Audiſti? Audieram ego eum in peruoluendis Caluini operibus diu noctúque aſſiduum fuiſſe, in iiſque prope totum habitaſſe. Vterque audiimus: veri ſit impoſitum, ex hominis doctrina æſtimetur. At demus etiam hoc tibi: Caluini opera ſerò tantùm ſibi compararit, vix illius quidquam, vti de Luthero modò dicebas, primis annis habuerit: carere certè *Inſtitutione* non poterat, qui Caluini Hæreſim in priuatis ſæpe congreſſibus, & aperto nonnunquam marte impugnaſſe iactatur. Satis autem hæc vna illi fuit ad deſignandam operis ſui fabricam, eiúſque iacienda fundamenta: cùm ſingulas noui dogmatis partes, & illuſtriora eius argumenta complectatur. Carere igitur cæteris Caluini cõmentariis diu potuit, eáque ſerò tantùm ſibi comparaſſe, vt quæ in iis fuſa ſparſáque eſſent, ad affecti iam operis ornatum abſolutionémque colligeret.

Hæc ad accuſationes noſtras reſponſa Vincentius minabatur. Qua in re hominis ſtuporé, Lector, agnoſce. Quæ ſibi nouæ doctrinæ faber quaſi propria vindicabat, quæ ipſius diſcipuli iam inde à pluribus ignorata ſæculis, & ab Antiſtite ſuo ex Auguſtini libris tanquam eruta & effoſſa gloriabantur: hæc ſæpe apud Lutherum, apud

Caluinum ſæpius, apud vtriuſque diſcipulos ſæpiſſime iterata, paſſim eorum in operibus obuia, & ad faſtidium inculcata demonſtraui: produxi capita ſingula: locos indicaui: verba deſcripſi: ſententias contuli. Loci, verba, ſententiæ, tam germana omnia viſa ſunt, vt non eſſet ouum ouo ſimilius. Quid Vincentius? Hæc diſſimulat omnia, vt breuiori reſponſione defungatur. *Audiui,* inquit, *eum Caluini opera ſerò ſibi comparaſſe; vix quidquam Lutheri apud eum fuiſſe: pleroſque alios nigros homines in Bibliotheca ſua non habuiſſe: vnde ferè certum eſt, eos nunquam legiſſe aut vidiſſe, quia non erat homo, qui alienis libris vnquam ſoleret vti.* Te, mi Lector, tuámque fidem appello. Vigilabat Vincentius, cùm hæc ſcriberet? Si traducere ſeipſum, ſi Doctorem ſuum ludos facere, ſi lectoribus riſum voluiſſet, aut indignationem mouere, quo alio reſpondendi genere vti potuiſſet?

Obſecro, Vincenti, ſi à nocturnis furibus expilata tua domus eſſet: omnémque deinde ſupellectilem cuiuſpiam in ædibus reperires: ſi veſtes, ſi vaſa, ſi arculas, ſi libros agnoſceres tuos, ſi agnoſcerentur à teſtibus omnia tuis impreſſa notis atque ſignata: quid tibi de patrono illo videretur, qui ad eius defenſionem id afferret vnum: *Audiui vix quidquam ferramentorum apud eum fuiſſe: vnde ferè certum eſt fores tuas non effregiſſe; quia non erat homo, qui alienis ferramentis vnquam ſoleret vti.* Rides hanc defenſionem: Tua eſt.

Triumphas tamen, Vincenti, & quæ eſt tua leuitas, lenitatem volui dicere, ſemper hîc erro, mihi ferociter inſultas, quaſi oſtenderis, *falſum eſſe nouum Doctorem non ſolum dogmata ſua omnia, ſed etiam fundamenta, conſectaria, argumenta pro & contra, eorúmque ſolutiones & effugia ex Luthero, Caluino, aliíſque recentioribus Hæreticis ſumpſiſſe.* Vbi tandem, & quibus argumentis iſta demonſtraſti? Voluo, reuoluo, excutio ſingulas libelli tui paginas, nec aliquid occurrit, quod eò trahere poſſis, præter ſuperiores illas, rationes dicam? an ineptias?

ineptiſſimas certè rationes, quibus ſi manifeſta Ducis tui latrocinia excuſari putas: næ tu, vt nihil grauius dicam, inſigniter cæcus es.

Quantum verò mihi ludibrium debes, pro thraſonica illa præfationis tuæ iactantia: *Quod Ricardus ait, ſe pudendi latrocinij, & ſpoliorum ex Hereticis nos conuiciſſe, quàm ſit ridiculum & pudendum, liber noſter ſecundus te Lector, docebit.* Docebit? Quo capite? quâ paginâ? quo verſu? An fortè vt ſemeſis nonnunquam & arroſis codicibus contingit, ex libro illo tuo ſecundo multa iam perierunt, quibus iſta continerentur? Lectorem tamen appellas, quem ſic illudis? deſperaſti venturum opus tuum in hominis vllius manus, qui fraudem iſtam agnoſceret? Addis verò ingentis argumenti loco, quod futuri conflictûs ſpecimen quoddam oſtendat: *Sententias enim & verba S. Auguſtini apud Caluinum & Hæreticos reperta, Hæreticorum eſſe, non à S. Auguſtino mutuata putauit Ricardus.* Tuámne hîc fidem potiùs, an iudicium deſiderem? Ego S. Auguſtini teſtimonia Hæreticorum verba eſſe putaui? Vbi? quâ operis mei parte? cur locum non protuliſti? cur non indicaſti ſaltem, vt eum curioſus Lector conſuleret? Næ tu, ſi iſtud fingis, calumniaris inſigniter: ſi dicis quod res eſt, turpiſſimè præuaricaris, qui ea manifeſtè non probas, quæ te tantopere adiuuarent. Quæſo te, quæ ex Wiclefo, Luthero, Caluino, eorúmque diſcipulis ad verbum deſcripſi, vt noui dogmatis placita primùm, tum fundamenta, deinde conſectaria, pòſt effugia, poſtremò calumnias, ſigillatim omnia ex ijs ſumpta eſſe demonſtrarem: eáne Auguſtini teſtimonia & verba ſunt? Agnoſces in ijs intexta quidem Auguſtini loca, ſed quæ illius eſſe præmonui, quæque eo conſilio à me recitari profeſſus ſum, vt omnes intelligant Ducem tuum non dogmata tantùm ſua, ſed illuſtriora quoque, quibus ea probare nititur, S. Auguſtini teſtimonia ex Hæreticis arripuiſſe: atque adeo poſſe meritò dubitari, plúſne Auguſtinum in Auguſtino,

quàm in Caluino legerit. An iſtud eſt Auguſtini ſententias cum Hæreticorum verbis confundere?

SECTIO II.

Deſperauit Vincentius refelli poſſe, quod demonſtraueram, nihil inſigne in nouo Doctore reperiri, quod totidem ferè verbis apud Lutherum, aut Caluinum non legatur.

SEd vide quàm benignè tecum ac leniter agam: dabo tibi quod maximè pugnas, Præceptorem tuum nullos Hæreticorum libros legiſſe: non Lutherum; quia, vt ais, *vix quidquam Lutheri apud eum fuit:* non Caluinum; quia vt audiuiſti, *Caluini opera ſerò tantùm ſibi comparauit:* non Bucerum, Chemnitium, Melanchthonem, alióſque complures eiuſdem nationis, quia, vt *ab eius amicis intellexiſti, nigros illos homines in Bibliotheca ſua non habuit*; Et *non erat homo, qui alienis libris vnquam ſoleret vti.* Hæc, inquam, omnia tibi dabo non illibenter, modò id fatearis vnum, quod ego demonſtraui pluribus, quódque tu refellere non es auſus, nimirum, ſingula noui dogmatis placita, cum ſuis fundamentis, conſectariis, argumentis, & quibus iſta confirmantur, S. Auguſtini teſtimoniis, in Caluino, Luthero, eorúmque diſcipulis reperiri.

Id ſi disertè fatearis, temperabo ab inuidioſis furti & latrocinij nominibus: Doctorem tuum Caluini aſſeclam non appellabo, ſed æmulum: mihíque perſuadere conabor, quod aliis non poſſem, ſingulari miraculo contigiſſe, vt qui nunquam Caluinum legerat, non in vnam tantùm eius de gratia & libero arbitrio dogmatis partem, ſed in omnes prorſus fortuitò inciderit, & ad ſingulas ſtabiliendas atque illuſtrandas eadem omnino adhibuerit argumenta, eadem S. Auguſtini teſtimonia.

Túne

Túne hanc conditionem abnuis, Vincenti? Admiſiſſe profectò videris, cùm ad ea nihil reſpondiſti, quibus oſtendi ſigillatim in Caluiniſtarum libris ea reperiri omnia, quæ Antiſtes tuus de libero arbitrio & gratia, de Chriſti morte pro ſolis prædeſtinatis, de Diuina eoſdem tantùm ſaluandi voluntate, de ignorantia inuincibili iuris naturalis non excuſante, de Prædeſtinatianis ex Hæreticorum numero expungendis, déque aliis opinionis nouæ fundamentis, conſectariis, effugiiſque diſputat.

Deus immortalis! quàm inclementer, quàm thraſonicè mihi inſultares ſi in nouo Doctore aliquid occurriſſet tibi, quod in Caluiniſtarum libris non legeretur! quàm illud inculcares ſæpe! quàm atrociter exagitares, quæ in Præfatione mea poſueram, quæque ad verbum hìc deſcribo, vt ſint illuſtre deſperationis tuæ argumentum! *Quæſo te Erudite Lector, ſi quem ex nouæ opinionis conſecraneis familiarem habes, illum per Doctoris ſui famam obteſtare, vt ex decumano eius opere ea ſeligat, quæ non ex Caluino emendicata, non ex aliis accerſita Hæreticis, ſed eius nata ingenio, vel ex diuturna illa, cui tot annos impendiſſe dicitur, S. Auguſtini lectione expreſſa, æquus rerum æſtimator dubitare non poſſit. Hoc ſi ab illo extorſeris, auſim ego viciſſim polliceri demonſtraturum me, vel illa nihil admodum ad quæſtionis cardinem pertinere, vel ex aliquo Caluiniſta percelebri totidem ferè verbis eſſe tranſcripta.* Non potui æquiorem vobis conditionem ferre, cur ergo non accepiſti? Cur ex *Diuino, & Archimedeo,* vt vocas, Præceptoris tui opere non ſelegiſti quidquid ſingulariter eximium, ingenioſum, & eruditum videtur? Cur non ſepoſuiſti firmiora eius argumenta, validiores reſponſiones, & illuſtriora, quibus hæc ornantur, S. Auguſtini teſtimonia? cur ea non appellaſti, quæ eius maximè propria arbitraris, vt in Caluiniſtarum operibus, eodem ſenſu, eodem ordine, iiſdem ferè verbis legi demonſtrarem? Hoc agendum fuit Vincenti, non inſulſis

Libro 1. cap. 5. ſect. 5.

pugnandum rationibus, Doctorem tuum Caluini opera non legiſſe.

Deſperaſti ex eius opere pauca quædam illuſtria excerpi poſſe, quæ Caluini aut Lutheri non eſſent. Neque verò temere deſperaſti. Quid enim eius maximè proprium eſſe defenderes? An famoſum atque decantatum toties vtriuſque gratiæ diſcrimen, quo veſtrum dogma, ſic tanquam Atlante cælum, nititur? Nihil certè ambitioſius ſibi arrogat, nihil commendat ornatius. Nam vbi *à recentiorum notitia valde abſtruſum eſſe* gloriatus eſt, magnificè illud oſtentat, ingerit importunè, & veluti opinionis ſuæ animam ſingulis eius partibus infundit. At iſtud tamen quàm ſæpe in Caluini libris reperitur? Vix de gratia & libero arbitrio verbum facit, quin diſcrimen illud impingat. Non alio vtitur argumento, ſiue Tridentini decreta oppugnet, ſiue exagitet Sorbonæ cenſuras, ſiue cum Catholicis Doctoribus confligat. Quid deinde principis tui induſtriæ tribueres? An nouam gratiæ cùm libero arbitrio conciliandæ rationem, inde petitam *quòd voluntas ſub gratia non velut inanime quoddam nihil omnino agat?* Plurimùm ſanè de eius inuentione ſibi blanditur, eámque ex S. Auguſtini operibus diuturno labore extudiſſe videri vult. Eſt tamen Caluini, & Caluini aduerſus Tridentinos Patres ſcribentis in Antidoto Seſſ. 6. An quæ de ſufficiente gratia, de Auguſtiniana peccati definitione; de Pelagiana Prædeſtinatianáque Hæreſi diſſerit? Quæ omnia ſibi propria vindicat: cùm ſint tamen eadem Caluiniſtarum mera dogmata, quibus probandis exornandiſve nihil de ſuo noui contulit, nihil, quod eorum in libris obuium, & familiare non occurreret. Eſtne in Doctoris tui vegrandi opere illuſtre quiddam, & eximium aliud? cedò: cum iiſdem Hæreticis cõmune eſſe demonſtrabo.

Fatere ergo, Vincenti, quod refelli poſſe deſperas: fatere nihil inſignis alicuius notæ à Præceptore tuo eſſe prolatum, quod multò ante Caluinus, eiúſque com-

militones non ſcripſerint. Cur ergo Caluinum iiſdem, quibus Antiſtitem veſtrum, præconiis non effertis? Cur Diuinæ gratiæ aſſertorem: cur renaſcentis Pelagianæ Hæreſis domitorem: cur elidendo gratiæ ſufficientis monſtro natum Herculem: cur Auguſtinianæ Doctrinæ genium: cur antiquæ Theologiæ vindicem & inſtauratorem non appellatis? Si tantæ à vobis tribuuntur imitatori laudes, cur auctori & Principi admirationem non impenditis?

Quid agat demum Vincentius tam aperta veritate oppreſſus? Quod deſperati ſolent: haſtam de ſuo arreptam vulnere in nos vibrare meditatur. Nos quoque cum Hæreticis conſpirare viciſſim accuſat. Quibus autem? non eſt auſus Pelagij, Celeſtij, atque Iuliani ſocietatẽ nobis exprobare. Vibebat enim quàm liquidò atque perſpicuè demonſtratum à nobis eſſet, hanc calumniam à Caluiniſtis fluxiſſe, qui iiſdem nominibus Tridentinos Patres, Doctoreſque Catholicos Pelagianiſmi reos faciunt, quibus nos nuperi dogmatis Coryphæus poſtulat. Igitur ne quorum ſocietatem nobis impingeret, eorumdem affinitas Tridentinæ Synodo à Caluiniſtis eſſet obiecta: Sectam quæſiit recèns enatam: annis plus quinquaginta eodem Concilio poſteriorem: nimirum Arminianam, cuius dogmatis nos aliquatenus conſentire criminatur.

Ita eſt, Vincenti, multa cum Arminianis habemus communia. Sed quæ eos ex concilio Tridentino, & Eccleſiæ Romanæ Doctrina ſumpſiſſe tum rigidiores Caluiniſtæ omnes, tum ipſi quoque Catholici, qui de illo Caluinianæ nationis diſſidio locuti ſunt, conſpirantibus ſententiis, ac penè conflato conſenſu teſtantur. Noſtrum eſt quod, Arminiani docẽt: *Hominem etiam medicinali gratia poſſe diſſentiri, ſi velit.* At illud ex Concilio Tridentino petitum eſſe Catholici fatentur; Caluiniſtæ Dordrechtani exprobrant. *Bellarminus*, inquiunt pag. 730. *cum Tridentino Concilio ſic docuit.* Noſtrum eſt,

quod Arminius pugnat, dari gratiam ſufficientem, quæ non ſit efficax. At illud ipſum quoque ex Concilio Tridentino, Pontificiis, & Bellarmino arreptum eſſe clamant iurata Caluini mancipia Ameſius, Molinæus, Riuetus, Sariſburienſis, Triglantius, atque ipſi Dordrechtani proceres pag. 745. Noſtrum eſt, quod ijdem Arminiani acriter contendunt; *Chriſtum pro omnibus mortuum.* At ex his Tridentini verbis cap. 3. Seſſ. 6. *Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt,* expreſſum eſſe Caluiniſtæ rigidiores clamant. Hæc Arminianorum placita noſtra eſſe profitemur: atque alia id genus, quæ Caluini erroribus contraria defendunt, quæ Ioannes Malderus in Antiſynodicis, Veronius in ſuis ad Dordrechtanam Synodum notis, aliíque Romanæ Eccleſiæ propria eſſe teſtantur: quæ Catholicorum in Scholis, antequam Arminiani exiſterent, aduerſus Caluinum docebantur, & quaſi catholica dogmata acerrimè propugnabantur: quæ Iodocus Clitouæus, Claudius Xainteſius, Stapletonius, Horantius, Camerarius, Malderus, aliíque Romanæ fidei vindices, tam firmis inuictíſque rationibus munierunt, vt Arminianos coegerint, eiurare Caluinum, atque hanc Catholicæ Doctrinæ partem amplecti. Sic ad nos acceſſerunt Arminiani, non ad eos defecimus: non quæſiimus illorum ſocietatem, ſed noſtram affectarunt.

Vide an idem à te, Vincenti, de veſtra cum Caluino ſocietate dici poſſit. A nobis ſumpſerunt Arminiani, quæ obiectas, dogmata: Vos, quæ obieci, ex Caluino deſcripſiſtis. Mutuati ſunt à nobis Arminiani, quæ non tribuimus induſtriæ noſtræ, ſed à maioribus accepta, in communi fide poſita, & huic ſuperioríque ætati notiſſima profitemur: Vos à Caluino emendicaſtis, quæ tamen Doctoris veſtri laboribus reperta, *& à recentiorum notitia abſtruſa* gloriamini. A nobis Arminiani petierunt ea, quibus Caluinum oppugnabamus: Vos ea traxiſtis ex Caluino, quæ à Catholicis omnibus oppu-

gnabantur. Hauſerunt à nobis Arminiani, quod repugnare Caluino confeſſi ſunt: Vos à Caluino duxiſtis, quæ Romanæ doctrinæ contraria ipſe profitetur. Arripuerunt à nobis Arminiani, quod Tridentinæ Synodo conſentaneum agnouerunt: Vos id à Caluino arripuiſtis, in quo Tridentina decreta ludificatur.

CAPVT SECVNDVM.

Nouum Doctorem cum Hæreticis conſpirare Vincentius ipſe diſertiſſimè profitetur.

VEritatem habet in Vincentio, quod de Hercule furente Poëtæ mentiuntur: nimirum, in ſuos, ſic tanquam in hoſtes inuolat: & vbi nouo Doctori, cuius auxilio venerat, lethales plagas inflixit, quaſi partâ de Aduerſariis victoriâ, inaniſſimè gloriatur. Hoc te ſpectaculo (Lector Erudite) paulùm oblecta.

SECTIO I.

Noui Doctoris de libertate ſententia, vel ipſius Vincentij iudicio, in antiquorum & recentium Hæreticorum opinionem incidit.

QVàm grauiter indignaris, Vincenti, ſcripſiſſe me Præceptoris tui opinionem non multum ab Hæreticorum ſententiis abludere? Quàm ſæpe minaris ea te argumenta difflaturum, quibus iſtud euincere ſum conatus? Stant illa nihilominus immota, pluſque ex diſputatione tua roboris, quàm detrimenti acceperunt. Quod certum eſt adeo & exploratum, vt vel tuo iudicio iſtud diſceptari velim. Vincent. lib. 2. cap. 2. 3. 4. 5.

Rationes omnes quibus pugnaui vel Præceptorem

tuum periculoſè errare, vel Hæreticos omnes, qui ob ereptam homini libertatem malè audiunt, immeritò damnari, breui hoc argumento continentur. Si liberum arbitrium rigidâ tantùm, & quæ in voluntatem cadere non poteſt, coactione violatur, veteres & noui Hæretici immeritò damnantur extincti liberi arbitrij; Siquidem eorum nemo eiuſmodi coactionem voluntati inferri putauit: At nouus Doctor contendit liberum arbitrium rigidâ tantùm, & quæ in voluntatem cadere non poteſt coactione deleri; Ergo ſi vera eſt eius opinio, veteres & noui Hæretici immeritò damnantur extincti liberi arbitrij.

Vincentius libro. 2. cap. 2. & 3. 4. 5.

Tu ad illud argumentum ita reſpondes, vt de Præceptore tuo, quem vnum petebat, ne verbum quidem facias, de te loquaris vno. Fateris Hæreticos noluiſſe rigidam voluntati coactionem inferri, atque adeo extincti liberi arbitrij non eſſe poſtulandos, ſi illud coactione tantùm rigida, quæque omni prorſus volitioni eſt inimica, perimitur. At negas ita habere. *Non ſolâ,* inquis, *rigidâ coactione aufertur voluntati ſua libertas, ſed etiam coactione alterâ, quæ ſimplicis neceſſitatis ſpecies eſt.* Atque idcirco contendis fieri poſſe, vt voluntas *ſub plena aduertentia rationis* aliquid velit, nec tamen liberè velit: ſeu, vt aliqua volitio *ſub plena aduertentia rationis* vitaliter, adeóque ſponte à voluntate elicita, non ſit libera. Hinc ſuperius argumentū, quod validū imprimis mihi videbatur, non tam diffringi putas; quàm difflari.

Vincentius libro 2. cap. 3. ſect. 1. & cap. ſect. 2. 2.

Ridiculè. Egóne hoc argumento opinionem tuam, quam nondum fortè parturiebas, certè non ediderasin lucem, impugnaui? Tuum ego Doctorem aggredior, de eius Dogmate confligo. Cur ergo in diſputationem noſtram importunus inuolas? Cur opinionem tuam ab eius ſententia mirum quantum abhorrentem ingeris? Túne hac arte Lectoribus illudere, méque auocare aliò, & dum Magiſter tuus elabatur, inutili velitatione diſtinere cupis? Vt vt ſit, mihi certè, non illi ſubſidio

veniſti. Nam in eius opinionem cæco incurris impetu, illíque cum Hæreticis veteribus & nouis conuenire apertiſſimè profiteris.

Faxo vt id ipſe, vel inuitus, intelligas. Quæ eſt, amabo, Doctoris tui de libertate ſententia? Ea opinor quam ipſe ſcriptis mandauit, quámque vt princeps dogmatis ſui effatum pluribus confirmat. Nimirum, *Volitionem omnem eſſe liberam hoc ipſo, quò volitio eſt:* ac proinde *fieri non poſſe, vt volitio aliqua non ſit libera.* Quia *ſub neceſſitate coactionis quæ ſola capitaliter repugnat arbitrij libertati, voluntas poni non poteſt:* Siquidem *neceſſitas illa talis eſt ex Auguſtino, vt nolente voluntate, hoc eſt renitente voluntate perficiat effectum ſuum; adeóque ſi voluntas ſub tali neceſſitate poneretur, ſequeretur voluntatem velle ſimul & nolle, quod eſt impoſſibile.* Vnde, inquit, *patet contradictionis abſurditas, quæ in eorum dictis latet, qui dicunt volitionem eſſe poſſe, quæ non ſit libera.* Sic ille Vincentij opinionem carpit, ſic notat. Nouus Doct. lib. 6. de gratia Christi cap. 5. & 6.

At impune non feret. Nam viciſſim eius ſententiam graui cenſura Vincentius perſtringit, quódque ſuperiori argumento contendebam, ſæpius inculcat, eam nihil ab Hæreticorum erroribus diſcrepare. Audi loquentem: *Caluinus errauit, quòd omnem actum poſſe dici liberum credidit, cui voluntas cooperatur.* De illo tantùm actu eſt ſermo, qui *ſub luce & regimine rationis* fit. Errat igitur cum Caluino nouus Doctor qui idem prorſus affirmat. Pergit Vincentius: *Hac propoſitio, ſola violentia repugnat libertati hominis naturali, meritò à Pio 5. damnata eſt in ſenſu, quo Caluinus eam aſſeruit; violentiam enim ſtrictè & propriiſſimè accipit Caluinus; falſum autem eſt, quòd ſola eiuſmodi violentia libertati naturali repugnet.* Falſum igitur quod nuperi Dogmatis faber toto paſſim opere ſuo pugnaciſſimè defendit. Vincentius libro 2. cap. 5. ſect. 2. libro 2. cap. 7. ſect. 6.

Parum fuit Vincentio, Doctorem ſuum Caluino adiungere, eum quoque alijs Hæreticorum proceribus his verbis accenſet: *Hanc propoſitionem: Quod voluntariè*

ſit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen ſit, meritò in Lutheranis & Caluiniſtis eo ſenſu damnat Pontifex, quo Eccleſia olim in Manichæis, Stoicis, Aſtrologis, Abailardo, Wiclefo eam damnauit. Hi enim omnia, quæ neceſſariò fierent, modò voluntas cooperaretur, liberè fieri dicebant. Hoc autem erroneum eſt. Si te conduxiſſem, Vincenti, vt inſigni præuaricatione, quam ſuſcepiſti cauſam proderes, an aliter loquereris?

Eſt hìc tamen quod de te expoſtulem. Cum ego Doctoris tui opinionem illam, quâ omnem voluntatis actum hoc ipſo liberum eſſe pugnat, quò à voluntate producitur, exagito, eámque ab recentium, veterúmque Hæreticorum erroribus nihil admodum diſtare contendo, reclamas tu vehementiſſimè, mihíque grauiter iraſceris, quaſi eum *per vim*, ita loqueris, *in Hæreticorum claſſem compingam*: Nihil tamen dico, quod tu verbis totidem non affirmes, nullam eius opinioni notam appono, quam tu illi pariter non inuras. Quæ eſt ergo æquitas tua, mihi vt iſtud licere non velis perinde ac tibi? An quia nouo Doctori ignotus eram, mihi cum illo vrbanius agendum putas, tibi verò pro tuo in eum amore apertius atque liberius?

Vincentius libro 2. cap. 5. ſect. 2.

SECTIO II.

Demonſtratur ampliùs opinionem illam, quæ à Vincentio vt Hæretica proſcribitur, noui Doctoris opinionem eſſe.

MIſeret me tui, Vincenti, qui nouæ opinionis Principem de te ſemper optimè meritum, tuæque creditum fidei imprudens confodiſti. Tuum hoc facinus horrebis ipſe, cùm illud mecum propius inſpexeris. De Hæreticorum opinione duo pronuntias, quæ eodem recidunt. Primò, errare illos, *quòd omnem actum liberum*

liberum eſſe credant, qui à voluntate ſub luce & regimine rationis producitur. Secundò, eoſdem hallucinari, *quòd liberum arbitrium euerti non putent niſi rigidâ illâ coactione, quæ in voluntatem cadere non poteſt.* Vtrumque verò Præceptor tuus & diſertiſſimè affirmat, & pugnaciſſime defendit. Vincent lib. 1. cap. 5. ſect. 2. cap. 7 ſect. 6. cap. 3. ſect. 1.

Prius quidem cùm alibi ſæpe, tum præcipuè libro 6. de gratia Chriſti multis docet, & probat. Nam cum ſtatuiſſet eum actum eſſe liberum, *qui ſit cum volumus*, id eſt, vt interpretatur, *qui fit volendo*, ſeu *voluntate*, inde colligit omnem prorſus volitionem eſſe liberam. *Volitio,* inquit, *eſt eſſentialiter libera. Implicat enim contradictionem vt volitio non ſit libera, ſicut implicat, vt volendo non velimus* Iterum: *Ecce à radicibus oſtenſum impoſsibile eſſe vt volitio non ſit libera, quia impoſsibile eſt vt cùm volumus, non velimus.* Atq; hoc fundamento niti putat quidquid Auguſtinus de humana libertate diſſeruit. Quamobrē de celebri illa aduersùs Ciceronem diſputatione ita loquitur: *Quæ ſanè Auguſtini diſputatio friuola & inanis eſt, ſi volitio eſſe poſsit, quæ non ſit libera.* De altera quoque eiuſdem momenti ait: *Nihil omnino ad propoſitum facit, imò non ſine inſigni abſurditate proponitur, ſi fieri poteſt vt volitio adſit, quæ non ſit libera.* Da Hæreticum aliquem, Vincenti, qui acriùs atque diſtinctiùs opinionem illā defendat, quam tu Hæreticā eſſe profiteris? Da qui planius neget, quod ſine errore negari non putas? Nouus Doct. lib. 6. de gratia Chriſti cap. 5.

Eodem pertinet octauus ille liber, quem ad liberum arbitrium cum Diuina gratia conciliandum ſcribit. Nam in eo totus, eſt vt vincat S. Auguſtinum atque alios Eccleſiæ Doctores, ad illa duo conſociāda, id vnum oſtendere, *voluntatem operante gratia non inſtar trunci, quem Deus moueat, ferri: non prorſus nihil: ſed etiam aliquid agere, nempe velle;* atque adeo libertatem retinere ſuam. *Nam ſi velle*, inquit, *non poteſt nobis non eſſe liberum, profectò ſi gratia facit vt velimus, facit etiam vt liberè velimus.* Iterum: gratia, inquit, libertatem non Nouus Doct libro 8 de gratia Chriſti cap. 5 19. totóque paſſim libro.

lædit, *qui non efficit vt aliud quippiam, ſed vt ipſa volitio habeatur: Volitio autem hoc ipſo quò eſt volitio eſt libera.* Agedum Vincenti hæc Præceptoris tui decreta, aliáque eiuſdemmodi toto paſſim eius opere diſſeminata, excuſa ſi potes, tu qui Caluino Hæreſi vertis quòd velit, *omnem voluntatis actum eſſe liberum*, &, *ad libertatem ſatis eſſe, vt voluntas non ſe habeat tanquam inanime quoddam, ſed actiuè concurrat & motu ſpontaneo ad ſuas operationes?*

Vincentius libro 2. cap. 5. ſect. 2.

Venio ad alterum caput & paucis demonſtro noui dogmatis opificem illud quoque acriter tueri, quod tu nihilo minus Hæreticum eſſe pronuntias: nempe, liberum arbitrium rigidâ tantùm, & quæ in voluntatem cadere non poteſt, coactione perimi. Neque verò mihi magnopere laborandum eſt vt id probem, cum ipſe ad faſtidium repetat fieri non poſſe vt neceſſitas illa, ſeu coactio, quâ vnâ liberum arbitrium euerti credit, in voluntatis actum cadat. *Quia ſequeretur nos velle ſimul & nolle, cùm enim neceſſitas illa talis ſit, quæ nolente voluntate, hoc eſt renitente voluntate perficit effectum ſuum; quando vult autem voluntas, non renitatur; apertiſſimè ſequitur eam velle ſimul & nolle, ſi voluntas, ſeu velle, ſub tali neceſſitate poneretur* Tum: *Hac autem ſubmota neceſſitate nulla alia timenda eſt libertati voluntatis.* Nega iam fodes, Vincenti, Doctorem tuũ eo fulmine afflari, quod in Caluinum his verbis intorques: *Falſum eſt quod ſola coactio, quâ volũtas coacta eſſe non poteſt, repugnet libertati?* Sed audi loquentem rurſus, & Bernardi locum, vel potiùs Zanchij Caluiniſtæ pro ſua libidine Bernardum interpretãtis laciniam magnificè oſtentantem. *Hanc ipſam*, inquit, *neceſſitatem, quæ ſola libertati repugnat eſſentialiter diſertiſſimis verbis Bernardus declarat eſſe violentiam, quâ fit vt homo cogatur velle. hoc eſt, vt inuitus velit quod implicat contradictionem.* Et quibus dam interiectis: *Declarat Bernardus eam ſe tantùm neceſſitatem à libertate remouere, quæ faceret vt duo contradictoria ſe non peri-*

Nouus Doct. lib. 6. de gratia Christi cap. 6.

Vincentius libro 2. cap 7. ſect. 6 & cap. 5 ſect. 2

Nouus Doct. lib 6. de gratia Christi cap. 17 Zanchius lib. 3. de Oper. ſex dierum cap 4.

merent, ſed ſimul in ſua veritate conſiſterent, videlicet vt homo ſimul vellet & nollet. O te poæſtigiatorem egregium, Vincenti, ſi perſuaſeris hanc opinionem tuâ illâ cenſurâ non configi, quâ ſtatuis, *aduersùs Lutherum & Caluinum dicendum eſſe, ad liberi arbitrij legitimam defenſionem non ſufficere libertatem à rigida coactione, ſed inſuper addendam eſſe libertatem à neceſſitate quadam ſimplici* quæ etſi *in voluntatem humanam cadere poſſit, eius tamen libertatem euertit.* Vincentius lib. 2. cap. 9. ſect. & cap. 6. ſect. 1.

Longior ſim & infinitus, ſi reliqua, quæ in eandem ſententiam toto ſparſim opere ſuo nouus Theologus diſputat, velim excerpere. Vnum addo quod magni eſt apud me ponderis. Ita in hac opinione conſtat ſibi, vt licèt in alijs omnibus aliquid ferè ſemper aſpergat, quod ad communem ſententiam videatur accedere, vt cum premetur vehementius, hoc quaſi poſtico elabatur, in hac tamen nihil prorſus ſcribit, quod in contrariam partem trahi poſſit. Vnde cum Vincentius perſæpe mihi ſuccenſeat, & iracundè exprobret quòd aſſeram liberum arbitrium ex nouæ opinionis decretis rigidâ tantùm coactione deleri, nihil ex Doctore ſuo proferre potuit, quo me falſi conuinceret.

Qua in re hominis candorem agnoſſe. Altercamur de noui Doctoris opinione: clariſſima eius verba profero, quibus omni prorſus volitioni libertatem adſcribit, negátque libero arbitrio coactionem aliam opponi, quam quæ in voluntatem cadere non poteſt. Reclamat Vincentius, iraſcitur, tragœdias agit, méque *errare, hallucinari, delirare*, & mala fide nouum opinionem interpretari vociferatur. Quo raperis Vincenti! Quæ te agunt intemperiæ? Reſpira tantiſper, & quid dicas vide. Quænam eſt illa opinio, quam à me infideliter explicari tam importunè, tam inuidioſè quereris? Tuíne Doctoris, an alterius? Si alterius: inſanis; neque enim alterius opinionem explicandam ſuſcepi: Si Doctoris tui: nonne clariſſima eius teſtimonia protuli? nonne

ipſius verbis integram expoſui? Cur ergo non oſtendis ea citari à me falsò, aut adulterari? Cur iis ſaltem alia eius teſtimonia non opponis? Cur ne verbum quidem ex eo profers, quo me reuincas? Hoccine eſt bona fide agere, an plani & præſtigiatoris in morem apertè ludificari?

SECTIO III.

Occurritur difficultati, tandémque concluditur Vincentium inſigni præuaricatione ſuſceptam Doctoris ſui cauſam prodidiſſe.

IAmne vides, nuperi Theologi defenſor egregie, iámne ſentis, quantam in eius opinione edideris ſtragem, quàm grauem illi plagam inflixeris? Age ergo Theriacam expedi, & ſi quam potes mortifero vulneri medicinam adhibe? Dices forſan negare illum, motus voluntatis, qui rationem anteuolant, liberos eſſe: vnde videtur effici nec omnem illi volitionem eſſe liberam, nec rigidâ tantum coactione, quæ in voluntatem cadere non poteſt, quáque proinde motus illi improuiſi expediti ſunt, libertatem aboleri.

Sed huic difficultati facilis eſt & expedita ſolutio. Nam 1. nunquid ante præmonui hîc tantùm ſermonem eſſe de iis actibus, quos vigilante ratione voluntas elicit? quia ſi conſtiterit, quod ſanè conſtat, omnes eiuſmodi actus in noui Doctoris opinione liberos eſſe, conſtiterit quoque illum, te iudice, cum Hæreticis veteribus & nouis conſentire. Doces enim, & ſæpe doces, Hæreticos eſſe, qui contendunt, *Omnem prorſus voluntatis actum, qui ſub luce & regimine rationis producitur eſſe liberum.* Atque id inuicta ratione confirmas: quòd nempe certum ſit Caluinum, Abailardum, Wiclefum, Manichæos aliáſque eiúſmodi peſtes voluntati libertatem eripuiſſe, etſi illam

Vincentius lib. . cap. 5. ſect. 2. cap. 3. ſect. 1. cap. 7. ſect. 6.

ſub luce, & regimine rationis; actus ſuos elicere decernerent.

Deinde, certum eſt motus illos, qui rationem præcurrunt, ex Doctoris tui opinione nec propriè volitiones, ſeu voluntatis actus eſſe, nec rigidâ illâ, quæ voluntati inferri non poteſt, coactione, expediri. Vtrumque ſigillatim clariſſimis eius verbis oſtendo. Eo ipſo capite, quo euincere nititur fieri non poſſe, vt aliquis voluntatis actus libertate careat, ſub finem ita monet: *Cum voluntatem dicimus non hoc iſto nomine intelligimus, quod illis motibus indeliberatis ſubiacet, quibus ſubito concupiſcimus, iraſcimur, trepidamus, antequam ratio vigilat; ſed id quod motibus illis reſiſtit aut cedit, hoc eſt, ipſum illum ſupremum apicem, cuius eſt irruentibus vndecumque motibus præbere nutum ſuum, ſiue aſſentiat, ſiue diſſentiat. Nam illi motus non in ipſo mentis apice, ſed in inferiore quadam parte tumultuantur, ipſúmque voluntatis apicem ad ſe trahunt.* Vides quàm diſertè neget præcipites illos motus à voluntate oriri, & volitiones eſſe. Ergo etſi libertatem illis non tribuat, nihil tamen inde præſcribi poteſt aduersùs illud celebre eius effatum: *Omnis volitio hoc ipſo eſt libera, quò eſt volitio.*

Eoſdem motus rigidæ coactioni ſubijcit, *quia*, inquit, *profluunt inuita & repugnante voluntate.* Quod vt intelligas obſerua, nullum actum vitalem, reſpectu facultatis à qua emanat, propriè coactum eſſe, quia fieri non poteſt illâ nihil conferente, ſeu repugnante: at reſpectu voluntatis, quæ principem in homine locum tenet, & à qua volũtarium aliquid ſimpliciter aut coactum dicitur, aliarum facultatum actus poſſunt eſſe coacti, quia fieri poſſunt nolente, ſeu repugnante voluntate. Vnde illud vulgare Theologorum pronuntiatum: *Impoſſibile eſt voluntatem quo ad proprium eius actum, qui eſt velle, coactionem pati, at patitur quoad actus aliarum potentiarum.* Nihil ergo mirum, ſi nouus Doctor eiuſmodi improuiſos motus rigidæ illi coactioni, quæ in voluntatis actum ca-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

dere non poteſt, ſubijciat, eùm eos non à ſuperiori mentis apice, nempe voluntate, ſed ab inferiori quadam parte oriri contendat: nec illud huic eius axiomati repugnat: *Voluntas, ſeu velle, poni non poteſt ſub neceſſitate coactionis, quæ capitaliter repugnat arbitrij libertati.*

Vincentius libro 2. cap. 1. ſect. 5

Hìc ego abſtinere non poſſum à caſtiganda Vincentij iniquitate, qui in me atrociter inuehitur, quòd nouo Doctori obiecerim, ex eius opinione conſequi præcipites animi motus, qui vel in nobis ante rationem emicant, vel in furioſis & amentibus perpetuò dominantur, liberos eſſe. Nam iſtud iure obiici negare non poteſt, quin vel ſuam, vel Doctoris ſui opinionem eiuret. Fatetur enim nouus Doctor motus illos, qui à ſuperiori mentis apice, nempe voluntate, fiunt, in ſua opinione ſemper eſſe liberos; quia non poſſunt rigidâ illâ coactione conſtringi, quæ ſola repugnat arbitrij libertati: Vincentius verò mihi dat *etiam perturbatiſſimè furentes ſuperioribus animæ potentijs intellectu & voluntate vti*, adeóque præcipites illos motus, quibus abripiuntur, eſſe partis ſuperioris, & voluntatis actus; Ergo concedat oportet eiuſmodi motus in noui Doctoris opinione liberos eſſe. Multum æſtuabis, Vincenti, antequam hunc nodum expedias.

Vincentius libro 2. cap. 1. ſect. 3.

Sed iſtud obiter duntaxat annotatum volui. Redeo ad quæſtionem; & te, quiſquis hæc legis, obteſtor, vt ex iis, quæ hoc capite diſputaui, Vincentij ingenium, fidem, indolem agnoſcas. Quàm glorioſè noui dogmatis vindicem & patronum ſe prædicat! Et illud tamen graui cenſurâ configit: Quàm acriter indignatur quòd pugnem, nouum Theologum in hac opinione cum Hæreticis conſentire! Et ipſe tamen hanc eius opinionem in Caluino, Luthero, Wiclefo, Abailardo, Manichæis, Stoicis, & Aſtrologis damnatam eſſe pronuntiat: Quàm ſæpe argumenta omnia, quibus illud ipſum demonſtro, ridet, cauillatur, explodit! Et iis tamen tantùm ipſe roboris conciliat, vt eorum vim effugere nemo

iam poſſit, niſi qui falli Vincentium, & hallucinari profiteatur. Nam quis aliter hoc argumento, quo reliqua continentur, ſe exſoluat? Docet Vincentius Hæreticos eſſe, qui ſtatuunt omnem actum quem voluntas *ſub luce & regimine rationis* elicit, eſſe liberum, & libertatem eâ tantùm coactione corrumpi, quæ in volunratis actus cadere non poteſt: At vtrumque nouus Doctor ſtatuit, & acriter defendit; Ergo, &c.

O te infelicem Vincenti, qui ſuſceptam cauſam ita prodidiſti! Quid reſpondebis nouæ opinionis proceribus, qui communi ſuffragio Doctoris ſui famam tibi defendendam commiſerant? Quid clariſſimo collegæ tuo, qui ſe tecum pro eadem deuouit, quíque ampliſſimis honoribus carere malit, quàm illud dogma abdicare? Quid denique aliis omnibus, quibus te noui Doctoris vindicem, & vltorem fore venditabas?

CAPVT TERTIVM.

Nec ipſa Vincentij opinio ab recentium Hæreticorum erroribus diſcrepat.

NEMO eſt, opinor, qui mihi cum illo homine diutius confligendum putet, quem in eandem opinionis illius, de qua digladiamur, cenſuram conſpirare demonſtraui. Nam etſi in aliis pluribus à me diſſentiat, ſatis eſt illud tamen ad eius defenſionem profligandam, ſuúmque diſputationi noſtræ vindicandum robur. Quamobrem poſſem hîc meo quodam iure dicendi finem facere, & quæ Vincentius pro alia quadam opinione Doctori ſuo prorſus aduerſa diſſerit, ne reſponſione quidem dignari. Non faciam tamen, quia maiorem à me iniuit gratiam, cùm Præceptoris ſui opinionem Hæreticorum erroribus adſcripſit,

quàm vt eum penitus aſpernari debeam. Placet ergo temporis aliquid perdere in audiendis eius nugis atque refellendis.

SECTIO I.

Quid Vincentius inter ſuam & Hæreticorum opinionem intereſſe dicat.

Vincentius lib. 1. cap. 3. FAcit Vincentius quod in bello proditores ſolent, pugnæ initio, ac prima quaſi velitatione fingit ſe Principi ſuo militare, & cum eo contendit: *Omne velle liberum eſſe, quia in illud propria neceſſitas coactionis non cadit.* At in ipſo conflictu apertè ab illo deficit, atque eius opinione erroris condemnata, aliam amplectitur, Lib. 2. cap. 3. ſect. 1. & cap. 7. ſect. 6. quâ ſe ab Hæreticorum ſocietate abiungat. *Non ſolâ,* inquit, *rigidiſſimâ coactione aufertur voluntati ſua libertas, ſed etiam coactione alterâ, quæ ſimplicis neceſſitatis ſpecies eſt, & per quam fatemur à Manichæis, Stoicis, Aſtrologis, Abailardo, Wiclefo, Caluino euerſam & oppreſſam fuiſſe humanam libertatem.*

Multùm verò laborat in ſimplici illa neceſſitate definienda, quâ liberum arbitrium ab Hæreticis extinctum dicit. Nam cùm arbitretur liberrimum eſſe amorem, quo Beatus Deum, quóque Deus ſeipſum amat, fateri cogitur maiorem quandam ab iis neceſſitatem in humanas voluntates induci, quàm quæ in amore beatifico, & Spiritus Sancti productione cernitur. Quod ſanè nemo crediderit. Affirmat tamen Vincentius, atque vt inuectam ab Hæreticis neceſſitatem ſecernat ab ea, quam cum libertate componit: Hæc, inquit, voluntatem leniter inLib. 1. cap. 11. clinat in actum, illa verò *duriter compellit atque præcipitat:* ſic prorſus vt *altera Atropos, tanquam neceſſitas inflexibilis; altera verò mollior, Lacheſis nominari poſſit.* Vtinam addidiſſet Rhadamanthum dici poſſe alteram, alteram

ram Æacum. Nam quis gemina illa comparatione prælucente, eius mentem oppidò difficilem & tenebroſam non penetraſſet?

Quanquam & ex alijs eius verbis eam poſſumus vtcunque ſuſpicari. Suſpicari dico; nam obſcura eſt adeo, vt peruideri clarè non poſſit. Docet *voluntatem, etiam ſub plena aduertentia rationis tam duriter in actum ſuum impelli poſſe*, vt illum ſponte quidem & *vitaliter* eliciat; at non liberè, eâ libertate arbitrij, quam in amore beatifico, & Spiritus ſancti productione agnoſcit. Quamobrem etſi aſſerat Caluiniſtas fateri *Hominis voluntatem ſub luce & regimine rationis agere non inuitam nec coactam, ſed affectione animi propenſiſſima*, negat tamen inde cōſequi nos ea libertate ab ijs donari; quia cum *luce rationis*, & *affectione animi propenſiſſima* ſtare poteſt durior illa neceſſitas, quæ libertati capitaliter eſt infenſa. Quam neceſſitatem idcirco *fatalem*, *Manichæam*, *Caluinianam* vocat, quòd ab illis Hæreticis inuectam putet: *brutalem* verò, quòd brutarum animantium propria ſit: *violentam* denique & coactiuam, quòd libertatem, quæ altera neceſſitate purè ſimplici iuuatur potiùs, quàm læditur, penitus euertat.

Lib. 2 cap. 5. ſect. 2.

Lib 1 cap. 11. 16. 18. libro 2. cap. 3. ſect. 1 cap. 5. ſect. 3.

Hæc ſunt Vincentianæ opinionis adyta. Hæc *fax diſtinctionis*, quam *ad fugandas ab Eccleſiæ doctrina tenebras* nouus ille Prometheus *accendit*. Nam, vt ait, *errauerunt Hæretici quòd duas neceſſitates ſimplices non diſtinxerunt*: Errauerunt quoque *Petauius & Ricardus, quia ſimplicem neceſſitatem vnicam eſſe ſupponunt, quæ tamen gemina eſt*. Vnde eorum argumenta omnia *hac vnica diſtinctione neceſſitatis ſimplicis coactiuæ à neceſſitate purè ſimplici, in fumos euaneſcunt*: Eiuſdem diſtinctionis ignoratio *confuſionem magnam & tenebras in doctrinam S. Auguſtini, & Eccleſiæ inuexit, maximáque ex parte ignorantiam iſtam peperit, quâ non pauca, etiam magna ingenia huius æui mirum & miſerandum in modum laborant*. Fatetur quoque *ſe in ea olim caligine fuiſſe*: ſed

Lib. 1. cap. 11.

Lib. 2. cap. 5. ſect. 2.

Lib. 2. cap. 2. ſect 1 & cap. 2. ſect. 3.

Lib. 1. cap. 13

cum inde emerſiſſet, *facem illam diſtinctionis*, quaſi nocturnam pharum *accendit*, vt qui iiſdem inuoluti tenebris inrer ſcopulos tot naufragiis infames iactantur, ad eundem portum appellant.

O te infidelem amicum Vincenti! Cur nouo Doctori denſiſſima illa, quam euaſeras, nocte oppreſſo, & in Hæreticorum opiniones, ſic tanquam in ſaxa, identidem incurrenti *facem* hanc non oſtendebas. Cur dum ſcribenti aſſideres, & quaſi officioſa obſtetrix adeſſes parturienti, amicè non monebas, liberum arbitrium ſimplici quadam neceſſitate, quæ in voluntatem cadere poteſt, violari? Si te ſubruſticus pudor, ſi *Diuini*, vt vocas, hominis reuerentia ab eo coram admonendo deterrebat, cur dum illo extincto eius operis editionem adornares, locos omnes, quibus id negat, non emendaſti? Cur ſaltem ad fucum imperitis faciendum, eius

Libro 2. cap. 3. ſect. 1. cap. 7. ſect. 6. cap. 2. ſect. 1.

libro non inſerüiſti, quod nobis toties impingis: *Non ſolâ rigidâ coactione auferri libertatem, ſed etiam ſimplici quadam neceſſitate, quæ in voluntatem cadere poteſt, & per quam à Manichæis, Stoicis, Aſtrologis, Abailardo, Wiclefo, Caluino oppreſſa eſt humana libertas!* Si iſta, aliáque eiuſmodi, quæ in ſingulis ferè libelli tui paginis inculcas, in ingenti eius opere vel ſemel legerentur, colorem forſan haberet tua illa tam frequens exprobratio, quâ obiicis noui Doctoris ſententiam malignè à nobis explicari, vt inuitum atque repugnantem in Hæreticorum claſſem compingamus. At cùm eius in libris nihil eiuſmodi reperiatur, ac ne eo quidem capite, quo opinionem ſuam à Caluini errore ſegregare nititur, quis te inſanire non arbitretur, cùm illud toties exprobras, & toto paſſim libro ſecundo vociferaris, *errare nos, delirare, hallucinari, & in craſſæ ignorantiæ nebula ambulare*, quòd non intelligamus in noua opinione *non vnicam tantùm, ſed duas eſſe neceſſitatis ſimplicis ſpecies, quarum vtraque in voluntatem cadere poſſit*, etſi altera tantùm cum libertate cohæreat?

SECTIO II.

Suaris auctoritate ineptiſſimè Vincentius abutitur, vt opinionem ſuam ab Hæreticorum errore ſeiungat.

SED iſtud modò non diſputo: id vnum contendo, tuam hanc opinionem ab Hæreticorum erroribus non diſcrepare: ſiquidem illi eâ tantùm neceſſitate nos obſtringunt, quam tu cum libertate concilias. Quod antequam ſigillatim demonſtro, paucis explicandus eſt Suaris ille locus, quem toties ingeris, vt perſuadeas te illius iudicio ab Hæreticis veteribus & nouis diſſidere. *Ad diſſipandas*, aïs, *Petauij & Ricardi de Hæreſi Manichæa & Caluiniſtica nobis obiecta calumnias Suarem audiſſe iuuabit.* Iuuabit enimuero. Quid ait? *Deum poſſe ita mouere voluntatem ſtante iudicio integro rationis de obiecto ex ſe indifferente, vt motu non libero, ſed ſimpliciter neceſſario in illud feratur.* Quod ita probat: *Hæretici qui dixerunt Deum ſemper neceſſitare voluntatem hominis in omnibus volitionibus ſuis, non dicebant Deum neceſſitare volũtatem auferendo illud iudicium, aut intellectum hominis perturbando, ſed ſolùm ita præmouendo voluntatem, ut illam neceſſariò faciat operari: vt conſtat tam ex antiquis erroribus Manichæi & Abailardi, quàm ex nouis Caluini, Lutheri, &c.*

Vincentius libro 2. cap. 3. ſect. 1.

Suares Tractatu de gratia Prolegom 1. cap. 4.

Quæ vbi ex Suare Vincentius retulit, *Videtis*, inquit, *Petaui & Ricarde poſſe ex ſententia Suaris dari quandam ſimplicem neceſſitatem cogentem, & libertatis interfectricem, ad quam tamen voluntas actiuè cooperetur, & talem eſſe illam, quam Manichæus, Abailardus, Caluinus, Lutherus, & cæteri voluntati inferri crediderunt.* Opus non erat Suaris auctoritate, vt iſtud euinceres, quod vltro profitemur. Sed quid inde conficis? *Clamores & conatus omnes veſtros, quibus nos in illorum Hæreticorum ſo-*

cietatem pertrahere conam in inugaces eſſe & ridiculos. Seriò loqueris Vincenti? an vt ſoles Theriacæ venditorem, ac præſtigiatorem agis? Tu iſtud inde colligas? Obſecro, quæ eſt illa neceſſitas quam ex Suaris opinione liberi arbitrij hoſtes humanæ intulerunt voluntati? Negare non audes illam ipſam eſſe, quàm tu eum libertate compones. Nam & diſertè Suares ait non aliam eſſe, quàm quæ voluntatem *ad vnum determinat*, illíque *indifferentiam* adimit: & tu ipſe illi grauiter iraſceris, quòd hac opinione ſua *Prædeterminantium* ſententiam eum Hæreticorum opinione coniungat. Quo igitur pudore hunc Suaris locum in tui defenſionem aduocas, quo, vel te iudice, apertiſſimè iugularis?

Atenim *Suares fatetur,* inquis, *neceſſitatem illam à Patribus per verbum cogendi ſolere explicari. Nos verò neceſſitatem coactiuam non admittimus.* Deſine tandem ineptiarum. Scimus te neceſſitatem illam non admittere, quam tu coactiuam vocas, at eam profectò admittis, quam Suares eo nomine appellari dicit: nimirum quæ non ſinit voluntatem circa obiectum ex ſe indifferens cum indifferentia agere: *impedítque* (Suaris verba ſunt) *ne vti poſſit naturali poteſtate ſuſpendendi actum.* Quamobrem non erat quòd longiùs accerſita Suaris auctoritate nos oppugnares: poteras ex noſtra opinione eiuſdem roboris argumentum in hæc verba contexere: Petauius & Ricardus fatentur Hæreticos eam induxiſſe neceſſitatem, quæ libero arbitrio eſt inimica: At ego non puto neceſſitatem, quam admiſi, libero arbitrio eſſe inimicam; Ergo Petauij & Ricardi iudicio mea opinio plurimùm abhorret ab Hæreticorum erroribus. Quis te deſipere non arbitraretur, ſi ita colligeres? At idem prorſus facis, cum illum Suaris locum adhibes, vt te ab Hæreticis ſeiungas.

Libro 2. cap. 2. ſect. 1. cap. 3. ſect. 1. cap. 5. ſect. 2. cap. 7. ſect. 6.

Tanta eſt nihilominus cæcitas tua, tam incredibilis ſtupor, vt quoties de Stoicorum, Manichæorum, & Caluiniſtarum opinionibus agitur, toties illud ex Suaris au-

ctoritate petitum argumentum nobis impingas. Sic libro. 2. cap. 5. ſect. 2. cùm dixiſſes Caluinum non errare, ſi hominum voluntates eâ tantùm neceſſitate alligaret, quam tu cum libertate componis, cuiuſmodi eſt ea, quâ Beatus Deum, aut Deus ſeipſum amat, ſubdis idcirco eum falli, quòd duriori quadam & magis inflexibili neceſſitate nos obſtringat: tum ad iſtud confirmandum ais: *Sic Franciſcus Suares Caluini opinionem non malè exponit.* Túne hac infidelitate Lectoribus illudas? Docuítne vnquam Franciſcus Suares non errare Caluinum, ſi eam tantùm neceſſitatem nobis imponat, quæ in amore beatifico reperitur? Docuítne duriorem ab illo & magis inexorabilem neceſſitatem in humanas voluntates induci? Hæc ſi docuit: per me licet eum vt tibi vindices; at ſi cōtrarium prorſus affirmat, vt certè affirmat, ſi expreſsè ait Caluinum alióſque Hæreticos eiuſmodi neceſſitatem admiſiſſe, cuiuſmodi eſt *in amore Dei erga ſeipſum, vel videntium ipſum*, quid cauſari potes, quo minus ſplendidè & nauiter illi impoſuiſſe dicaris? Suares loco citato, & Tratatu de Volūtario diſp. 1. ſect. 3.

SECTIO III.

Quam fraudulenter & inſidioſè Vincentius agat, vt neceſsitatem illam, quâ vnâ libertatem extingui defendit, in voluntatem cadere probet.

QVæ laborioſè congeris, vt opinionem tuam à Caluiniſtarum Hæreſi ſeiungas, ſponte collabentur, ſi conſtiterit duriorem illam neceſſitatem, quâ vnâ libertatem deleri arbitraris, in voluntatem cadere non poſſe. Nam continuò colligam mitiorem aliam à Caluiniſtis neceſſitatem induci, ſiquidem omnes conſentiunt, nec ipſe diffiteris, inuectam à Caluino neceſſitatem voluntati non repugnare.

Vincentius libro 2. cap. 5. ſect. 2. Fuit illud in cauſa cur tibi affirmandum putaueris, neceſſitatem illam, quâ liberum arbitrium lædi credis, in voluntatem cadere poſſe. Quæ opinio tua, ſi dilucidè explicetur, vix alia refutatione indiget. Contendis ergo fieri poſſe, vt maior quædam voluntati noſtræ neceſſitas inferatur, quàm quæ eſt in Spiritus ſancti productione: ſiue, *vt voluntas noſtra ſub plena aduertentia rationis aliquid velit ſponte, voluntariè, & affectione animi propenſiſſima,* nec tamen liberè, ea libertate, quam in Spiritus ſancti productione agnoſcis. Id verò Theologis omnibus incredibile; vt leuiſſimè dicam, videbitur. Sed quî tandem fiet? *Si Deus*, inquis, *per omnipotentiam ſuam voluntati creatæ ſub plena aduertentia rationis ſtanti, præternaturalem efficaciam inferat, tali impetu voluntariè factum ſine dubio liberum non erit.* Verum id quidem, ſi de ea libertate agatur, quam indifferenti ad vtrumlibet facultate metimur; at cùm de illa ſit ſermo, quæ in Spiritus ſancti productione reperitur, nunquam probaueris, *tali impetu voluntariè factum* hac libertate carere.

Vincent. lib. 2. cap. 2. ſect. 1. cap. 3. ſect. 1. cap. 5. ſect. 2. cap. 7. ſect. 6.

Senſit Vincentius id argumentis effici non poſſe, auctoritate pugnat. *Ita*, inquit, *egregiè docet Franciſcus Suares, qui in eandem ſententiam D. Thomam, Scotum, Capreolum, Marſilium, Almainum, Sotum, Medinam, Valentiam, Bellarminum, Cumel, Cabreram, alióſque citat.* Papæ! quis obniti contra poſſit? Sed vereor ne ſolens tuo more feceris, atque Suari, & iis quos appellat, per ſummam audaciam impoſueris.

Quid Suares docet? *Deum poſſe ita mouere voluntatem ſtante integro iudicio rationis de obiecto de ſe indifferente, vt motu non libero, ſed ſimpliciter neceſſario in illud feratur.* Agnoſco Suaris verba. Sed vt ſuperiori ſectione demonſtraui, de ea tantùm libertate loquuntur, quam neceſſitas purè ſimplex, qualis eſt in amore Beatifico, labefactat. Vnde paulò pòſt ait: *Generaliùs autem loquendo, non eſt dubium, quin poſſit eſſe volitio & voluntaria motio, quamuis non ſit libera, vt patet in amore Dei erga ſe ipſum,*

vel videntium ipſum. Fingis ergo audaciſſimè, qui hunc Suaris locum adhibes, vt vincas, actum *præternaturali Dei concurſu* expreſſum eâ cariturum libertate, quam in Spiritus ſancti productione agnoſcis.

Nihilo tibi ſuffragantur magis, quos opinionis ſuæ patronos Suares laudat, vna eſt enim eadémque omnium opinio, quam clariſſimè exponit Medina loco à Suare citato, nempe in 1.2. quæſt. 6. art. 4. concluſ. 1. *voluntas*, inquit, poteſt *neceſsitari à Deo in operationibus ſuis elicitis, vt velit, vt amet. Probatur ſic: nam Beati neceſſariò amant Deum, vt patet ex prædictis in materia de beatitudine. Deinde nulla eſt apparens contradictio, quòd hîc Deus neceſsitet voluntatem ad amandum; ergo poteſt fieri à Deo.* Tu iſta ſic interpretaris, quaſi auctores illi aſſerant, Deum poſſe tantam voluntati neceſſitatem imprimere, vt ſponte & voluntariè velit, non tamen liberè, ea libertate, quam in Spiritus ſancti productione agnoſcis. Quantas mihi pro tam inſigni infidelitate pænas debes?

Audes tamen & Henricum Henriques in eiuſdem opinionis communionem vocare. Nam cùm hæc eius verba retuliſti ex libro de fine hominis cap. 6. *Deus vehementi impulſu ex parte potentiæ poſſet voluntatem noſtram neceſsitare:* ais, eum loqui de tua *neceſsitate ſimplici coactiua*, quam libertati amoris beatifici, & proceſſionis Spiritus ſancti opponis. Quod à te per ſummam illi calumniam imponi vel inde cognoſci poteſt, quòd expreſsè monet, eam neceſſitatem, quâ *Deus vehementi impulſu ex parte potentiæ poſſet neceſsitare voluntatem*, fore illi perſimilem, quâ *ex parte obiecti neceſſitat Beatorum voluntatem.* Deinde eandem comparat cum illa neceſſitate, quæ in externis Dei operibus cerneretur, *ſi ageret ex neceſsitate naturæ, vt quidam Philoſophi videntur poſuiſſe.* Quæ certè neceſſitas eadem foret cum ea, quâ Spiritum ſanctum producit. Quid ergo hunc auctoris illius locum appellas, vt probes, maiorem quandam, & libertati magis inimicam neceſsitatem imprimi nobis poſſe,

Vincentius libro 2. cap. 3. ſect. 1.

quàm quæ in Spiritus ſancti proceſsione reperitur?

Satis eſt mihi eos auctores in te armaſſe, quos in opinionis tam inſolentis & nouæ patrocinium aſciueras. Tempus non teram in ea rationibus euertenda, quam nulla ratione confirmaſti. Vnum addo, neminem fore Theologicis rebus initiatum, qui hæc duo pugnare ſecum non arbitretur: Voluntatem aliquid velle affectione animi propenſiſsima, & cum perfecta cognitione; nec tamen liberè, ea libertate, quæ in Spiritus ſancti productione reperitur. Certè qui tecum defendunt proceſsionem Spiritus ſancti eſſe liberam, negant fieri poſſe, vt voluntas cum perfecta cognitione agat, nec tamen liberè agat. Neque enim, vt ait opinionis illius princeps Ioan. Scotus quod libet 16. *Magis poteſt voluntas eſſe naturaliter actiua* (id eſt non liberè) *quàm natura, vt eſt principium diſtinctum contra voluntatem, poteſt eſſe liberè actiua.* Ac proinde quemadmodum nulla virtute fieri poteſt, vt lapis liberè agat; ita ex eorum opinione, nullo modo euenire poteſt, vt voluntas cum perfecta cognitione agens, liberè non agat. *Ex quo fit*, inquit, Doctor tuus lib. 6. de Grat. Chr. c. 25. *Vt impoſsibile ſit voluntatem rationalem aliter agere, quàm per modum voluntatis, hoc eſt, ſemper liberè.*

Scire verò proderit cur ab hac eorum opinione, quam auidè Doctor tuus arripuit, deſciueris. Myſterium iſtud eſt, quod paucis euoluo. Scoti diſcipuli qui proceſsionem Spiritus ſancti, atque adeo omnem volũtatis actum liberum eſſe volunt *libertate*, vt vocant, *eſſentiali*, negant, vt tute aſſeris, *eiuſmodi libertatem eſſentialem ad meritum aut demeritum actûs ſufficere.* Quamobrem etſi fateantur. Hæreticos eiuſmodi libertatem homini non ademiſſe, pugnant tamen eos meritò damnari, quòd libertatem aliam, quæ ad meritum requiritur, nobis eripiant. Non vidit iſtud Doctor tuus, ſed eorum de libertate *eſſentiali* ſententiam ſic amplexus eſt, vt eam ad meritum aut demeritum ſufficere contenderet. Hinc vexatus

Vincentius libro 2. cap. 9 ſect. 2.

tus eſt à nobis acriter, quòd hac opinione ſua, Hæreticos omnes, qui extinctæ libertatis ad meritum neceſſariæ damnati ſunt, abſolueret. Nam ſi libertas illa eſſentialis, quæ à voluntatis cum perfecta cognitione agentis actu abeſſe non poteſt, ad meritum aut demeritum ſufficit, nullus Hæreticorum libertatem ad meritum neceſſariam ſuſtulit, ſiquidem profeſſi ſunt voluntatem ſponte agere, & cum perfecta cognitione, atque adeo libertate illa eſſentiali præditam eſſe. Senſiſti quanta eſſet huic argumento vis ad Doctoris tui opinionem Hæreſis conuincendam. Quapropter cùm alius tibi exitus non pateret, affirmandum putaſti, Hæreticos qui voluntatem ſponte agere profitentur, libertatem nihilominus eſſentialem illi eripere, adeóque fieri poſſe, vt voluntas ſponte & cum perfecta cognitione ageret, non tamen liberè ea libertate, quam Spiritus ſancti productioni attribuis. En cur in tantas difficultatas volens te indueris.

SECTIO IIII.

Multiplex Vincentij infidelitas, eiúſque cum Caluini opinione conſenſus clariſſimè demonſtratur.

BOna verba, mi Vincenti: cur me calumniatorem appellas quòd nouum dogma Caluiniani erroris ſuſpicione aſperſerim? Ad teipſum prouoco: ſed irâ vacuum, ſed tui compotem. Nam cùm hæc ſcriberes, ita ardebas iracundiâ, vt nec quid vellem, nec quid reſponderes, ſatis attenderis. Pugnabam ego nouam opinionem nihil admodum à Caluiniana diſcrepare, quòd vtraque liberum arbitrium ſolâ coactione præfocari putet. Repugnas tu vehementer, atque id inter illas diſcriminis eſſe contendis: quòd Caluinus ſolam coactionem à libero arbitrio arceat: nouus verò Doctor Vincentius libro 1. cap. 5. ſect. 1.

etiam aliquam ſimplicis neceſſitatis ſpeciem, quæ in voluntatem cadit, eáque illæsâ liberum arbitrium enecat. Vnde colligis Præceptorem tuum *euidenti interuallo à Caluiniſtis diſſidere*, & me iniquè agere, qui *illum palam reclamantem, atque renitentem* in Caluini opinionem adigam.

Non hinc abibis, Vincenti, quin infidelitas tua omnibus innoteſcat. Age nouum Doctorem conſulamus, ſiquidem de eius mente agitur: locum adeamus illum, quo opinionem ſuam à Caluiniana ſecernit, atque inde cognoſcamus, quid ipſe inter vtramque diſcriminis ponat. Caput integrum huic quæſtioni impendit, quod ita auſpicatur: *Obiicietur fortaſsis aduersus iſtam gratiæ & liberi arbitrij concordiam, eam à ſententia Caluini non differre; ſic enim vtramque inuicem conciliat, vt dicat hominem vi gratiæ non ita trahi, vt ſine motu voluntatis, quaſi extraneo impulſu feratur, ſed intus affici, vt ſua voluntate obſequatur.* Reſpondet: *Non omnia quæ Hæretici dicunt ſunt Hæretica.* Atque vt oſtendat hanc ſe Caluiniani Dogmatis partem probare, vbi alia quædam inter ſe & Caluinum diſcrimina protulit, quæ Libro 1. Diſputationis meæ cap. 1. ſect. 2. pluribus confutaui, quæque ipſi Vincentio tam nulla viſa ſunt, vt ne illorum quidem meminerit, tum ſubdit: *Si Caluinus illam quoque Philoſophicam tetigit quæſtionem de natura liberi arbitrij, in quo ſita ſit, an ideo negandum eſt, quod apertiſsimum ac certiſsimum eſt: Auguſtinum videlicet & diſcipulos ac poſteros eius Sanctos Patres ſolam coactionis neceſsitatem ab arbitrij libertate ſubmouiſſe, & ita conciliaſſe gratiam cum libero arbitrio, vt gratia non cogat violentè voluntatem, ſed ſuauiter ei velle tribuat; atque ita non nihil inſtar lapidis agat, ſed aliquid etiam proprio motu cooperetur, nec alius de ipſo homine, ſed ipſe homo velit: an hoc, inquam, ideo negandum eſt, quia Caluinus etiam in immunitate coactionis libertatem collocauit.* Quam Caluini opinionem vt Hæreſis ſuſpicione liberet, negat à Concilio Triden-

Nouus Doct. lib. 8. de Gratia Christi cap. 21.

tino fuiſſe perſtrictam. *Nouerat Sanctà Synodus*, inquit, *Philoſophicam eſſe quaſtionem vtrum libertatis ratio, à qua liberum arbitrium dicitur, in experte coactionis voluntate ſita ſit, an in indifferentia :* quapropter *Philoſophicam hanc de natura libertatis quæſtionem tacitam intactámque prateriuit.*

I nunc Vincenti, & vociferare Præceptorem tuum *palam reclamantem atque renitentem* per vim à nobis in Caluini ſententiam compelli. Tibíne reclamare viſus eſt, ac reniti, qui ſponte profitetur ſe hac in parte cum Caluino conſpirare, quòd vterque ſolam coactionem libero arbitrio infenſam putat? quíque Caluini de liberi arbitrij natura opinionem, quam tu Hæreticam eſſe concedis, adeo non execratur, vt illam Concilij Tridentini fulminibus ſubducere, & S. Auguſtini eiúſque diſcipulorum auctoritate defendere conetur? Vbi verò capitale illud diſcrimen, quo Caluini opinionem à Doctoris tui ſententia diſtare contendis? Vbi illa, quam toties ingeris, geminæ neceſſitatis ſimplicis diſtinctio? quæ tibi hac in re tanti viſa eſt momenti, vt ſæpe affirmes: Hæreticos idcirco erràſſe, quòd illam non obſeruarint? Vbi denique, quod nobis importunè occinis, nouus Doctor ait, ſe à Caluino diſcrepare, quòd hîc ſolam coactionem, ipſe verò ſimplicis quoque neceſſitatis ſpeciem quandam, libertati opponat? Vtinam per otium liceret mihi hîc diutius inſiſtere, atque hanc infidelitatem tuam pro merito caſtigare!

Quidquid ſit, inquies, de noui Doctoris opinione, mea certè à Caluiniſtarum Hæreſi plurimùm abeſt. Nam neceſſitas illa quâ nos obſtringi, quáque liberum arbitrium non lædi defendo, purè ſimplex eſt, illíque perſimilis, quæ in amore beatifico reperitur: At illa quam inuehunt Caluiniſtæ, quámque cum libertate coniungunt, multò durior eſt magiſque inexorabilis. Quo tè nomine appellem, Vincenti, qui manifeſta in fraude modò deprehenſus, aliam continuò recudis nihilo ſanè

tolerabiliorem? Nam quo auctore, quo teſte, quo argumento probas duriorem quandam à Caluiniſtis neceſſitatem nobis imponi, quàm quæ in amore beatifico reperitur? Vnum producis Suarem, qui vt ſuperiùs oſtendi prorſus contrarium affirmat. Caluini verò locum, quo iſtud euincas, nullum adhibes. Et tamen tibi vis credi. O te imprudentem, ſi illud ſperaſti: Audacem verò, vt nihil atrocius dicam, ſi cùm deſperares tentare nihilominus voluiſti.

Sed quia in hac reſponſione defenſionis tuæ arcem collocas, placet illam funditus euertere, atque oſtendere pluribus Caluiniſtas idcirco præcisè erraſſe, quòd illam neceſſitatem admiſerint, quam tu cum libero arbitrio componis: nimirum, purè ſimplicem, vt vocas, cuiuſmodi eſt in amore beatifico. Vnde verò iſtud cognoſci meliùs poteſt, quàm ex Caluiniſtarum, & qui cum illis conflixerunt, Catholicorum operibus? Age ergo illa conſulamus. Caluiniſtæ quidem expreſsè aiunt ſe id vnum contendere, homines poſt lapſum eadem neceſſitate ſiue in bonum, ſiue in malum ferri, quâ Beati Deum amant. Ita Petrus Molinæus inter Caluinianæ nationis proceres ſpectatiſſimus in Anatome cap. 32. vbi disertè negat quamlibet neceſſitatem à Caluiniſtis induci, ſed illi tantùm perſimilem, *quâ finem vltimum, nempe felicitatem volumus omnes neceſſariò: quâ Sancti neceſſariò non peccant: quâ Deus neceſſariò eſt bonus.* Quæ omnia ex Caluino expreſsit Libro 2. Inſt. cap. 3. num. 5. vbi ſic diſputat: *Si liberam Dei voluntatem in agendo non impedit quòd neceſſe eſt illum bene agere, quis hominem ideo minùs liberè peccare dicet, quòd ſit peccandi neceſſitati obnoxius?* Eadem repetit cap. 5. num. 1. Et multò copioſiùs libro 4. de Libero arbitrio pag. 175.

Hieronymus quoque Zanchius meo quidem iudicio Caluiniſtarum doctiſſimus perſæpe monet non aliam à ſuis neceſſitatem induci, aut cum libero arbitrio conciliari; *Non pugnant,* inquit libro 1. Tractat. Theolog. cap.

6. Theſi 1. *Libere agere & tamen neceſſariò agere. An non Deus neceſſariò bonus, iuſtus & clemens eſt? Et nunquid præterea non eſt libero præditus arbitrio? Annon Angeli in cælo, & animæ Beatorum neceſſariò volunt, quæ volunt? Num ideo dixeris propter hanc neceſsitatem illos non eſſe libero arbitrio præditos? Ergo quòd etiam in terris homines ita ſint facti ſerui peccati, vt non poſsint non peccare; & contra, qui natus eſt ex Deo non peccet, nec peccare poſsit, inde non tollitur vel illis, vel iſtis natiua voluntatis libertas.* Ecce quam neceſſitatem Caluiniſtæ inuehant: nimirum, ſimplicem illam, quam cum libertate Vincentius coniungit. Neque verò eorum eſt vllus, qui duriorem quandam poſtulet, quíque Vincentio non aquieſcat concedenti neceſſitatem illi ſimilem, quâ Beati neceſſariò Deum amant, libertati ad meritum, aut demeritum requiſitæ nihil officere.

Eadem eſt Catholicorum, qui cum Caluiniſtis decertarunt, ſententia. Aiunt enim idcirco illos errare quòd neceſsitatem, quam Vincentius purè ſimplicem appellat, cum libertate ad meritum, & demeritum requiſita pugnare negent. Ita Franciſcus Horantius libro 1. cap. 5. vbi illud Caluini argumentum ex Dei, & Beatorum libertate accerſitum diſſoluit. Ioannes Malderus Diſput. 59. in 1. part. vbi aduersùs Caluiniſtas certum eſſe docet *electos in amore beatifico non eſſe liberos*, propriè dicta libertate. Ioannes Puteanus Tomo 1. in 1. 2. quæſt. 10. dubitat. 2. & Ioannes Wigers quæſt. 6. de Voluntario art. 2. Ita denique ipſi *Prædeterminantes*, qui aduersùs Caluinum ſæpe docent, neceſsitatem illi ſimilem, quã Beati Deum amant, libertatem de qua confligimus interimere. Didacus Aluares pluribus illud docet Diſputat. 22. 32. & 115. aitque, *Dilectionem beatificam, quæ eſt in Beatis, vt terminatur ad Deum, eſſe actionem ſimpliciter neceſſariam, & non liberam* eâ libertate de qua dimicamus, adeóque illos cum Caluino errare, qui pari neceſsitate nos alligant. Eadem tradunt Franciſcus Cumel Diſcurſu

2. ad 1. 2. aſſert. 4. Petrus de Cabrera quæſt. 18. in 3. partem art. 3. Guillelmus Eſtius in 2. diſt. 7. parag. 7. & alij complures, quorum teſtimonia inferiùs recitabo.

Adhúcne affirmabis, Vincenti, *non errare Caluinum, ſed eàdem cum ſancto Auguſtino, & S. Thoma viâ incedere,* ſi hominis lapſi voluntatem eâ tantùm neceſsitate conſtringat, quam tu libertatis inimicam negas, cuiuſmodi eſt ea, quâ Beatus Deum, aut Deus ſeipſum neceſſariò diligit?

SECTIO V.

Quid ſit diſcriminis inter Vincentij opinionem & Lutheranorum Hæreſim.

Apologia 1. Ianſ. libro 3. cap. 29.

CVm diſputationis meæ capite 1. ſect. 1. demonſtrâſſem nouum de libertate dogma cum Lutheri, Caluiníque erroribus conſentire: aliquot Aduerſariorum reſponſiones diſſoluendas putaui, atque illam imprimis, quam & audieram ipſe & à pluribus iactari, probaríque intelligebam: quâ nimirum aiunt Lutheri, Caluiníque Hæreſim in eo præcisè eſſe poſitam, quòd vterque aſſerat voluntatem noſtram *paſsiuè tantùm*, ac velut inanime quoddam ad iuſtificationis negotium ſe habere. Quàm falſa & deſperata eſſet hæc reſponſio pluribus Catholicorum, Lutheranorum, atque Caluiniſtarum teſtimoniis probaui. Habuit tamen Vincentius quod in hac refutatione mea vellicaret. Nam mihi aſſentitur quidem Caluiniſtas & Lutheranos complures non omnem voluntati actionem ademiſſe, at illud de Luthero præfractè negat, mihíque Doctores aliquot opponit, qui aiunt Lutherum docuiſſe, *voluntatem tantùm paſsiuè & receptiuè ſe habere.*

Vincentius libro 2. cap. 5. ſect. 1.

Si mihi inutiliter altercandi otium & animus eſſet, hac de re cum Vincentio diutius, nec fortè infeliciter dimi-

carem. Nam primò, Catholicos illi Doctores objicerem, qui cum Stapletono libro 4. de Gratia & libero arbitrio cap. 1. obſeruant, *nec Lutherum vnquam dubitaſſe quin in conuerſione mentis ac voluntatis ad Deum aliqua eſſet actio & agitatio ipſius intellectus & voluntatis, ſpontanea ſcilicet, non coacta: Cõuerſio enim eſt actio volũtatis, & quod voluntas agit, ſponte agit.* Deinde Lutheranos cõplures producerem iſtud Chemnitij in ſeſſ. 6. Trid. pag. 125. 126. inculcantes: *Cùm Lutherus dicit hominem ad regenerationem habere ſe merè paſsiuè, non eſt ſenſus, voluntatem quæ renouatur otioſam eſſe & inertem, & tanquam bruta agitatione percelli, quod Luthero nunquam in mẽtem venit.* Probarem illud ipſum pluribus Lutheri teſtimoniis, qui libro de ſeruo arbitrio ſæpius repetit, *hominem in regeneratione agere voluntariè, ſponte, & libenti voluntate.* Denique ex ijſdem Catholicis atque Lutheranis docerem, Theologorum more loqui Lutherum cùm ait, *voluntatem noſtram paſsiuè tantùm ſe habere*, atque id vnum velle, actus illos quibus ad Deum conuertimur, etſi à voluntate phyſicè producantur, ab illa tamen liberè non fieri: quemadmodum, propter eandem rationem, Theologi dicunt voluntatem reſpectu gratiæ præuenientis, quæ eſt actus ab illa productus, *paſsiuè tantùm ſe habere.* Ita loquitur Dominicus Soto libro 1. de natura & Grat. cap. 16. *In eiuſmodi*, inquit, *inſpirationibus, quas Deus in nobis ſine nobis libere aſſentientibus repente operatur, homo merè receptiuè ſe habet.* Vnde colligerem cùm ipſum Dominicum Sotum, tum alios à Vincentio appellatos aliud nihil velle dum aiunt, voluntatem in Lutheri ſententia *merè receptiuè ſe habere.*

Sed quia ſatis eſt mihi ad victoriam, quod Vincentius vltro concedit, Caluiniſtas & poſteriores Lutheranos actionis aliquid voluntati tribuiſſe, inutile illud certamen omittam, nec multùm laborabo an Vincentius cum Luthero conſentiat, dummodo habeam, ſentire illũ cum Melancthone, Bucero, Chemnitio, Oecol-

lampadio, Muſculo, aliiſque Lutheranæ factionis principibus, quos erraſſe pronuntiat, licèt actionis aliquid voluntati tribuerent. Cum iis autem illum conſpirare inde colligo, quòd eorum nemo maiorem voluntati noſtræ neceſsitatem inijciat, quàm quæ à Vincentio cum arbitrij libertate cohærere dicitur. Da enim ex iis aliquem, cui ſatis non ſit voluntates noſtras ſimplici illa neceſsitate irretiri, quâ Beati in Deum neceſſariò feruntur? Da Catholicum Doctorem qui maiorem quandam, magiſque ineluctabilem ab iis neceſsitatem induci teſtetur? Certè Franciſcus Suares, quem vnum nobis intentas, clariſsimè docet Diſput. 1. de Voluntario ſect. 3. Hæreticos huius temporis eam in nobis libertatem agnoſcere, quâ *Deus dicitur amare liberè ſeipſum, licèt neceſſariò*. Et Philippus Gamachæus in 1. 2. q. 13. cap. 5. inter Lutheranorum argumenta illud quoque proponit, quo voluntatem noſtram eâdem, quâ Beati, neceſſitate agere contendunt, atque ita reſpondet: *Etiamſi Deus poſſet ſimpliciter loquendo neceſsitatem inferre noſtræ voluntati, ita vt actio voluntatis non maneat libera, quemadmodum patet in clara viſione, & fruitione Beatorum, non tamen ſolet id fieri in aliis noſtris actionibus*. Ex quibus patet Lutheranos cauſam viciſſe, ſi homines hoc in ſtatu eâdem, quâ Beati, neceſſitate conſtringerentur. Quid ergo fingis Vincenti, maiorem quandam duriorémque ab iis neceſsitatem poſtulari?

Conſule Doctores omnes, qui ſe Lutheranorum ſtrage nobilitarunt, Roffenſem, Coclæum, Clitouæum, Stapletonium, Bellarminum, Sotum, Vegam, Tapperum, alióſque eiuſdem nominis ac famæ, & ex ijs vel vnum profer, qui dicat eos non errare, ſi hominis corrupti voluntatem eâ tantùm neceſsitate deuinciunt, quâ Deus ſe ipſum neceſſariò amat? Expende argumenta Lutheranorum omnia, quæ ab ijſdem Doctoribus referuntur, & ex ijs vel vnum ſelige, quo maior quædam neceſſitas inferri videatur? Si his auctoribus probaueris,

quod

quod de Lutheranis affirmas, per me non ſtabit quin te ab illa Hæreſi diſſidere glorieris: ſin minus; licebit mihi ſingularem audaciam tuam admirari, quâ ſuperioris æui Hæreticos id dixiſſe fingis, quod nemo hactenus audiit, quódque nec in eorum legitur operibus, nec à Doctoribus Catholicis, qui cum illis egerunt, recitatur.

Habet tamen Vincentius quod opponat. Ait, neceſſitatem à Lutheranis & Caluiniſtis inuectam, vel ex eorum confeſſione eripere voluntati dominium & poteſtatem actus ſui; adeóque ab illa diſcrepare, quam ipſe cum libertate copulat; ſiquidem perſæpe monet neceſſitatem omnem, quæ hanc voluntati poteſtatem adimit, libertati penitus aduerſari. Sed cauillari iſtud eſt, & nimis imperitè fucum facere. Cùm fatentur Hæretici inductam à ſe neceſſitatem voluntati adimere dominium in actus ſuos, quam huic voci, *dominium*, notionem ſubiiciunt? Nimirum tritam illam atque peruagatam, quam his verbis S. Thomas exprimit 1. parte quæſt. 82. art. 1. ad 3. *Sumus domini noſtrorum actuum ſecundùm quòd poſſumus hoc vel illud eligere*. Et lib. 1. contra gentes cap. 68. *Dominium quod habet voluntas ſupra ſuos actus excludit determinationem ad vnum*? Numquid fateris, Vincenti, ſic acceptum dominium ſimplici illa neceſſitate, quam cum libertate coniungis, violari? Nihil igitur hac in parte à Lutheranis illis proceribus diſſides. Cùm verò tam aſſeueranter affirmas eâdem neceſſitate dominium voluntatis in actus ſuos lædi, quomodo illud *dominij* nomen interpretaris? Sic nempe vt Beatorum voluntati Deum abſoluta neceſſitate amanti conueniat. Eſt ne aliquis Lutheranorum, aut Caluiniſtarum, qui ſic acceptum dominium neceſſitate illa, quam inuehunt, labefactari profiteatur? Ne vnum quidem proferre potes, qui id afferat. Igitur velis nolis opinionem tuam nihil à poſteriorum Lutheranorum opinione diſcrepare fateri debes.

CAPVT QVARTVM.

Vincentij opinionem nihil à Veterum Hæreticorum erroribus diſcrepare.

GRATVLOR tibi, Vincenti, quòd à Doctore tuo deſciueris, vt te à veteribus Hæreticis longiùs abduceres. Sed vereor ne illa, quam ingrederis, via poſt ambages aliquot & anfractus in eorum opinionem vel inuitum reducat. Fateris nihil ab antiquioribus Hæreticis eos diſcrepare, qui cum Præceptore tuo contēdunt, liberum arbitrium rigidâ tantùm coactione labefactari: atque id inde rectè colligi putas, quòd veteres illi humanæ libertatis hoſtes hanc voluntati noſtræ coactionem nunquam intulerint. Quid ni ergo pariter colligam, te ab ijſdem Hæreticis non differre, cùm eam tantùm libero arbitrio neceſſitatem opponas, quam eorum nemo voluntati noſtræ iniectam voluit? Hac argumentatione breuiter & ſummatim continetur quidquid hoc capite fuſiùs demonſtrabo.

Vincent. libro 2. cap. 1. 2. 3.

SECTIO I.

Non diſtat ab ijs Hæreticis qui fato, vel Diuinâ præſcientiâ libertatem euerti fingebant.

Vincentius libro 2. cap 1. ſect. 1.

QVas te in anguſtias coniicis Vincenti? à Stoicis ſegregare te non potes, niſi aſſeras, eos duriorem quandam neceſſitatem induxiſſe, quàm quæ in Dei erga ſe ipſum, vel Beati erga Deum neceſſario amore reperitur. Quod etſi à communi Doctorum omnium ſenſu abhorreat, tam aſſeueranter affirmas, vt nobis etiam

inſultes in hæc verba : *Creditíſne Petaui & Ricarde in amore Beatifico neceſſitatem non molliorem eſſe , quàm in fatali raptu?* Ita ſanè, mi Vincenti. Neque enim arbitramur fati aſſertores duriorem illam, quam tu fingis, neceſſitatem induxiſſe. Quod nobis plurimæ inuictæque rationes perſuadent.

Prima, eáque, ni fallor, decretoria petitur ex *fatua*, vt Sanctus Maximus vocat, eorum opinione, qui non humanam tantùm, ſed etiam Diuinam voluntatem libero ſpoliarunt arbitrio. Quos inter Principem locum tenere dicuntur nobiles Peripatetici Theophraſtus, Auerroes, Auicenna, Porphyrius, & ipſe etiam, vt pluribus Theologis placet, Ariſtoteles. Quanquam non deſunt qui Cardinalibus Caietano, & Toleto aſſentiantur, hanc ab illo maculam depellentibus. At extra Controuerſiam eſt eundem errorem à Petro Abailardo, & Ioanne Wiclefo inſtauratum fuiſſe. Docebant illi teſte Valdenſi Lib. 1. Doctrinalis cap. 10. & 22. Deum pari neceſſitate creaturas producere; quâ ſe ipſum amat, aut Spiritum ſanctum producit. Quamobrem cùm à Wiclefo, qui inanem quandam libertatis laruam retinere ſatagebat, quæreretur *quomodo voluntas Diuina eſt libera, ſi abſolutè neceſſitetur hoc facere.* Reſpondebat: *Quod Deus non illibertatur quidquam facere, licèt abſolutè neceſſariò illud fiat: ſicut non illibertatur producere Spiritum ſanctum licèt abſolutè neceſſariò illud agat.*

Hinc eſt quòd Theologi omnes, cùm aduersùs illam opinionem confligunt, in eo diſputationis cardinem verti putant, Deúſne eâdem neceſſitate creaturas producat, quâ ſe ipſum diligit: conceſſuri vtique Deum libero priuari arbitrio, ſi tali neceſſitate mundum condidiſſet. Ita S. Thomas 1. parte quæſt. 19. art. 10. cui titulus eſt: *Vtrum Deus habeat liberum arbitrium. Dicendum*, inquit, *quòd liberum arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſariò volumus, vel naturali inſtinctu. Cùm igitur Deus ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia verò*

non ex neceſsitate, vt ſupra oſtenſum eſt, reſpectu illorum, quæ non neceſsitate vult, liberum habet arbitrium. Et libro 1. contra Gentes cap. 88. *Deus*, inquit, *alia à ſe non ex neceſsitate vult, vt ſupra oſtenſum eſt; Deo igitur liberum arbitrium habere competit.*

Quæ omnia liquidò demonſtrant Diuinæ libertatis hoſtes id vnum voluiſſe, Deum pari neceſſitate creaturas producere, quâ ſe ipſum amat. Cur igitur pugnas, Vincenti, eos duriorem quandam neceſſitatem poſtulare? Indidem conſtat fati aſſertores hoc ipſo extincti Diuini arbitrij reos eſſe, quo neceſſitatem illam, quam tu purè ſimplicem vocas, Deo circa creaturas agenti imponunt. Quid igitur eiuſmodi neceſſitatem libero arbitrio infenſam negas? Hinc te extricare non potes, quin Caluinum pariter expedias illo argumento, quo eius opinionem profligari fateris. Sic habet: Fati aſſertores perempti liberi arbitrij damnantur, etſi rigidam valuntati coactionem non inferant; Ergo falſum eſt rigidâ tãtùm coactione liberum arbitrium perimi. Quam tu ſuperiori argumento ſolutionem adhibueris, eandem Caluinus iſti accommodabit.

Rationes aliæ ſumi poſſunt ex eorum opinione, qui humanas duntaxat voluntates fato ſubiiciunt, quíque fatum illud Diuinam mentem interpretantur, ſeu Dei præſcientiam rebus præcognitis neceſſitatem imponentem. Nam quis maiorem ab ijs neceſſitatem inuectam putet, quàm quæ à Vincentio ſimplex dicitur? Non aliam certè eorum arguméta poſtulant, quæ S. Thomas in hæc verba contrahit quæſt. 24. de Veritate art. 1. *Quidquid Deus præſcit, neceſſe eſt euenire, cùm præſcientia Dei falli non poſsit: ſed omnes actus humanos Deus præſcit; ergo de neceſsitate eueniunt: & ita homo non eſt liberi arbitrij.* Da huius argumenti auctoribus nos eadem neceſſitate velle, quæ Deus præſciuit, quâ ſuam ipſe bonitatem Deus vult: an aliquid amplius poſtulabunt? Minimè ſanè. Neque enim, quod vnum metuebant, periculum erit, ne Diuina

præſcientia fallatur. Nugaris ergo Vincenti, qui maiorem ab ijs neceſſitatem peti contendis.

Pudebit te erroris tam inſulſi, cùm expenderis, eos qui hac ratione oppreſsi negauerunt Deum certò præſcire volitiones liberas, ne ad illam præſcientiæ certitudinem requiſita neceſsitas illarum libertatem interimeret, nunquam dubitaſſe certò præſciri Beatos tota æternitate Deum amaturos, aut Patrem & Filium Diuinum amorem ſpiraturos. Vnde apertè cōficitur eos non aliam ex præſcientiæ certitudine neceſsitatem colligere, quàm quæ eſt in amore beatifico, & Spiritus ſancti productione. Ciceronem ipſum interroga, atque alios omnes, qui teſte S. Auguſtino lib. 3. de libero arbitr. cap. 2. vnum id inclamant *Si præſcius eſt Deus peccaturum eſſe hominem, neceſſe eſt, vt peccet: Si autem neceſſe eſt, non ergo eſt in peccando voluntatis arbitrium.* Eos, inquam, interroga quæ ſit illa neceſsitas, quam ex Dei præſcientia colligi arbitrantur. Reſpondebunt quod per ſeſe clarum eſt, quódque pluribus eorũ teſtimoniis demonſtraui libro 2 cap. 1. ſect. 2. parag. 2. non aliam eſſe, quàm quæ à te purè ſimplex appellatur. Quæ eſt ergo fides tua, quis pudor, cùm affirmas maiorem quamdam neceſsitatem ab ijs induci?

Iam verò ſi Catholicos Doctores audiamus cum illis erroribus deprælìantes, noua ſuppetent argumenta, quibus Vincentius falſi conuincatur. Nam id vnum contendunt cum S. Thoma quæſt. 24. de veritate art. 1. & Alberto 1. parte quæſt. 61. *Ex Dei præſcientia non poſſe concludi, quòd actus noſtri ſint neceſſarij neceſsitate abſoluta, & antecedente*, cuiuſmodi eſt illa, *quâ Beati Deum neceſſariò amant.* Vnde colligitur hanc ipſam eſſe neceſsitatem, quam falſi aſſertores ex diuina præſcientia in voluntates noſtras deriuabant. Ad illud ipſum confirmandum plurimùm valet, quòd S. Patres ac Theologi profitentur, vix ac ne vix quidem explicari poſſe quomodo Dei præſcientia cum libertate conſentiat. Nam id profiteri ine-

ptum eſſet, ſi de illa tantùm libertate agerent, quæ neceſsitate purè ſimplici non violatur. Quis enim vel in dubium reuocet, libertatem illam, qualiſcúnque eſt, quam in amore beatifico, & Spiritus ſancti productione agnoſcimus, nihil Diuinæ præſcientiæ certitudini derogare? Quamobrem ſi verum eſſet, quod pugnat Vincentius, de illa tantùm libertate, cum Dei præſcientia componenda Catholicos inter & fati aſſertores certamen extitiſſe, nec Cicero præſcientiam Deo eripuiſſet, vt hanc homini libertatem vendicaret: nec alij hanc nobis libertatem ademiſſent, vt Diuinæ præſcientiæ certitudini conſulerent: cum inter illa duo ne leuis quidem videatur eſſe diſcordia.

Quid te ergo, Vincenti, impulit, vt in hac enarranda Stoicorum opinione tam longè à veritate, & communi ſenſu deflecteres? Vnum id certè, quòd aliter huius Hæreſis ſuſpicionem à te amoliri non potueris. O deſperatam opinionem tuam, ſi per illud tantùm ſtat quo minus Stoïcorum erroribus annumeretur!

SECTIO II.

Vincentius perinde ac Aſtrologi liberum arbitrium euertit.

Vincentius libro 2. cap. 2. ſect. 1.

HAriolatur hic Vincentius & de Aſtrologorum opinione multò ineptiùs diuinat, quàm illi de rebus omnibus vaticinentur. Ait Chaldæos, qui fatalibus ſtellis voluntates alligant, & ex natalitio cuiuſque ſidere quid acturus ſit augurantur, *Atropon* quandam, vt vocat, neceſſitatem inducere, multò maiorem eâ, quam in Dei erga ſe ipſum amore omnes agnoſcimus. Nugæ. At illud ipſum Franciſcus Suares diſertè, & ſine ambage docet. Fabulæ. Profert tamen Vincentius eius verba, quæ id innuere videntur. Profert quidem, ſed truncata,

ſed mutila, ſed infideli interpretatione corrupta. Suaris locum, à me ſuperiùs enarratum lege, & inſignem præſtigiatoris audaciam miraberis, qui eum ſibi patrocinari fingit, quem ex omnibus habet infenſiſſimum.

Exultat tamen, & quaſi partâ victoriâ ſibi triumphum decernit, nóſque vapulare iubet, quòd arbitremur non maiorē ab Aſtrologis neceſsitatem inuehi, quàm quæ eſt in amore beatifico, & Spiritus ſancti productione. Quid hoc homine facias tam inepta de cauſa triumphante? Contemptu certè, quàm reſponſione dignior videtur. Placet tamen hanc eius intemperiem paucis caſtigare. Quam ob cauſam ais, Vincenti, Aſtrologos maiorem neceſsitatem ex aſtris repetere, quàm quæ eſt in Dei erga ſe ipſum amore? Scio quidem te idcirco illud pugnare, quòd eos aliter extincti liberi arbitrij conuincere non poſsis. Sed quæro vnde conſtet tibi ſic illos arbitrari. Nam ſi eorum dogma, & rationes, quibus nititur, expendamus, nihil occurret prorſus vnde illud exculpi queat. Docent illi ex natalitio cuiuſque ſidere quid acturus ſit poſſe certò præſagiri: atque vt iſti diuinationi certitudinem concilient, aiunt nos eiuſdem ſideris impreſſione afflari neceſſitate quadam, quæ voluntatem ad vnam partem affligat. Hoc illius dogmatis caput, quod ſtare profectò poteſt, etſi non aliam neceſsitatem, quàm quæ eſt in amore beatifico, ſtellæ nobis imponant. Vaticinaris ergo, & circunforaneorum more vaticinaris, cùm maiorem ab Aſtrologis neceſsitatem poſtulari clamas.

Vim vt habeat hæc ratio, fingamus exiſtere modò aliquem ex fanatico Aſtrologorum grege, qui coram profiteatur id ſe tātùm velle, voluntates noſtras ex natalitio ſideris afflatu eâ præcisè neceſsitate, ſiue in bonum, ſiue in malum inclinari, quâ Beati Deum amant. Túne hunc hominem, quem ego perempti liberi arbitrij continuò accerſam, damnabis, an abſolues? certè non damnabis, ſiquidem hac neceſsitate liberum arbitrium extingui negas. Abſolues ergo, méque iniuſtæ accuſationis pœnâ

multabis. At ſi id feceris, non modò Catholicos omnes aduerſantes habebis, atque repugnantes; ſed etiam toto Aſtrologorum agmine opprimêris. Aduolabunt enim continuò, & ſe de alia neceſsitate inducenda nunquam cogitaſſe deierantes, tuo hoc iudicio aduersùs Conciliorum fulmina, Patrúmque decreta opinionem ſuam defendent.

Auguſtino quidem dicenti lib. 2. contra Fauſtum cap. 5. *Sub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel malè viuitur ab omni neceſsitatis vinculo vindicemus*, reſpondebunt liberum ſe arbitrium retinere, etſi hominis geneſim ſtellarum fato ſubiiciant, quia ſimplicem tantùm neceſsitatem inde repetunt, quæ ad diuinationum omnium certitudinem ſatis eſt, nec libero tamen nocet arbitrio. Alios quoque Doctores ſugillabunt, qui cum Origene apud Euſebium lib. 6. de Præpar. cap. 9. aiunt *nullam in nobis eſſe libertatem, ſi neceſſe eſt res fieri, ſicut ſtellarum curſus effecerit.* Nam ſi aſtra neceſſitate illâ nos obſtringant, quam clara viſio Beatis ad amandum Deum imprimit, neceſſe erit res fieri, ſicut ſtellarum curſus effecerit, nec idcirco tamen libertas interibit, cùm hac neceſsitate non lædatur.

Vincentius libro 2. cap. 3. ſect. 2.

Illuſtrabuntur hæc omnia ex eo S. Thomæ loco, cuius ſententiam à nobis ignorari ineptiſsimè Vincentius exprobat. Docet S. Doctor 1. parte quæſt. 115. art. 4. Hominem liberi arbitrij non fore, ſi aſtra in eius voluntatem directè agerent. Vnde colligo neceſsitate purè ſimplici liberum arbitrium euerti, ſiquidem eo in caſu non aliam aſtra voluntati imprimerent. Negat Vincentius, acritérque contendit duriori tum neceſsitate voluntatem opprimendam. Quod his S. Thomæ verbis probat ex quæſt. 24. de Verit. art. 1. *Dici non poteſt quòd ſtellarum diſpoſitio ſit cauſa humanorum actuum, quia oporteret actus humanos ex neceſsitate accidere, ſicut & cauſa neceſſaria eſt.* Verùm hæc verba eam tantùm neceſsitatem à

ſtellis

ſtellis imprimi poſtulant, quæ à clara Dei viſione ad amandum Deum Beatis imponitur: nec aliter tum ſtellæ eſſent cauſæ neceſſariæ humanorum actuum, quàm modò clara Dei viſio eſt cauſa neceſſaria amoris beatifici. Cur hinc ergo maiorem quandam neceſſitatem Vincentius argumentatur?

Nec aliud euincunt hæc S. Thomæ verba, quæ ex eodem art. 4. quæſtionis 115. Vincentius obiicit. *Sequeretur quòd homo non eſſet liberi arbitrij, ſed haberet actiones determinatas, ſicut & cæteræ res naturales.* Neque enim S. Doctoris mens eſt, voluntatem eo in caſu eodem prorſus modo ſe habituram, quo agentia merè naturalia: ſiquidem certum eſt tunc illam voluntariè, & cum perfecta cognitione acturam, quod illis agentibus non competit. Sed hoc vnum innuit, voluntatem tunc vni parti neceſſariò affigendam; atque adeo naturæ potiùs, quàm voluntatis rationem habituram. Nam, vt ait 1. parte quæſt. 41. art. 2. *Voluntas & natura ſecundùm hoc differunt in cauſando, quia natura determinata eſt ad vnum, ſed voluntas non eſt determinata ad vnum.* Quapropter cùm voluntas agit vt ad vnam partem addicta, agit vt natura, *ſic voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem. Et ſimiliter Deus naturaliter vult, & amat ſeipſum* At cùm *appetit aliquid ſecundùm propriam determinationem, & non ex neceſſitate, hoc ei competit inquantum voluntas eſt*, vt docet quæſt. 22. de Veritate art. 5. Vnde conſtat naturalem illam neceſſitatem, quâ in Aſtrologorum hypotheſi opprimendam voluntatem S. Thomas ait, illam ipſam eſſe, quam in amore Beatifico, & Spiritus ſancti productione agnoſcit: Adeóque ex hoc loco effici non poſſe, Aſtrologos maiorem quandam neceſſitatem inferre, quàm quæ eſt in amore beatifico.

Callidè verò fecit Vincentius, cùm poſteriorem eiuſdem loci partem omiſit, quâ S. Doctoris ſententia clariùs exprimitur. Sic habet: *Sciendum eſt tamen, quòd indirectè & per accidens impreſſiones corporum cæleſtium ad*

intellectum & voluntatem pertinere poſſunt, inquantum ſcilicet tam intellectus, quàm voluntas aliquo modo ab inferioribus viribus accipiunt, quæ organis corporeis alligantur. Hinc tamen libertatis interitus metui non debet; quia *voluntas non ex neceſſitate ſequitur inclinationem appetitus inferioris. Licèt enim paſſiones, quæ ſunt in iraſcibili, & concupiſcibili, habeant quandam vim ad inclinandam voluntatem, tamen in poteſtate voluntatis remanet ſequi paſſiones, vel eas refutare.* Eadem repetit articulo ſequenti, & libro 3. contra Gentes cap. 85. fatetúrque perituram libertatem, *ſi voluntas ex neceſſitate ſequeretur has inclinationes, quæ ex impreſſione cæleſtium corporum ſiunt.* Fac ergo inclinationes illas à ſideribus corpori impreſſas voluntatem impellere pari neceſſitate, ac clara Dei viſio. Vel ſaltem, vt quæ de gratia, & concupiſcentia Vincentius docet, huc transferam, fac inclinationes illas corporeas duriori quidem neceſſitate motum aliquem indeliberatum voluntati imprimere, ſed qui poſtea voluntatis conſenſum eliciat ſuauiori illa neceſſitate, quâ Beati Deum amant. Si ita res haberet, vincerent Aſtrologi S. Thomæ iudicio, & liberum arbitrium funditus interiret. Fallitur ergo Vincentius, & S. Doctoris mentem inſigni deprauatione corrumpit, cùm eius auctoritate probare nititur, idcirco tantùm Aſtrologos perempti liberi arbitrij accuſari, quia maiorem quandam, quàm quæ eſt in amore beatifico neceſſitatem inuexerunt.

SECTIO III.

Vincentij opinio re ipſa conſentit cum illorum Hæreſi, qui liberum arbitrium Diuinâ gratiâ deleri putauerunt.

QVod Catholici Doctores, atque imprimis Gabriel Pennottus lib. 9. in Præf. & cap. 10. Caluino obii-

ciunt, renouari ab illo Hæreſim *Iouiniani, & aliorum, qui gratiæ vim ita extollunt, vt humanæ voluntatis libertatem funditus euertant*: illud ipſum nouæ opinionis fautoribus oppoſui in hæc verba: *Vnum hoc dicam, Adrumetinos Monachos, Iouinianum, aliόſque qui efficacem gratiam cum libero arbitrio cohærere negant, non aliter ſenſiſſe, quàm Aduerſarios.* Reſpondet huic accuſationi Vincentius. Quid tandem? Nihil ad rem. Negat ſe aſſentiri Iouiniano docenti Baptizatos nec tentari, nec peccare. Atque vt oſtendat quam longè abſit ab illa opinione, *libenter*, inquit, *confitemur nos ſæpe à Diabolo tentari, & interdum peccare, & ſi huius confeſſionis teſtimonium poſtulas, poteris à confeſſarijs noſtris exigere.* Expectabam vt confeſſarij ſui nomen, & domum appellaret, quò facilius hominem adire, & iſtud percontari poſſem. Vincentius libro 2. cap 4

Alia quædam de Iouiniano, & Adrumetinis congerit, quæ nihil prorſus ad quæſtionem attinent, nec alia mente ab eo dicuntur, quàm vt Lectores aliò auocet. Sed non patiar hominem ſic elabi. Hoc agitur Vincenti, quid ſit diſcriminis inter Doctoris tui opinionem, & illorum Hæreſim, qui Diuinâ gratiâ liberum arbitrium lædi putauerunt. Nihil eſſe prorſus hac Ruardi Tapperi art. 7. pag. 237. argumentatione contendo: *Quando apud Auguſtinum diſputatur, an gratia tollat liberum arbitrium, quod credebant Monachi Adrumetini, non agitur de arbitrio libero à coactione. Nullam enim hæc quæſtio de gratia, & libero arbitrio, quam difficillimam dicit B. Auguſtinus, haberet difficultatem, ſi libertas intelligeretur coactionem excludere ſolùm, & non neceſſitatem.* Vim huius argumenti effugere non potes, quin abdicatâ Doctoris tui opinione, aliam aſciſcas.

Quanquam nec illa, quam procudis ſententia, hinc te eripiet. Nam ſi libertas, quæ in amore beatifico. & Spiritus ſancti productione cernitur, illa ipſa eſt, vt acriter pugnas, de qua S. Auguſtinus cum Adrumetinis certabat, dicas oportet & verò dicis, Adrumetinos arbitrari

maiorem quandam ex gratia neceſſitatem fluere, quàm quæ eſt in Spiritus ſancti productione. Quod abſurdum eſt adeo, vt nemo ſit prorſus, qui id tibi aſſentiatur. Quid enim ex Adrumetinorum opinione proferri poteſt, quod hanc neceſſitatem ſpiret? Quid ex eorum querelis, & S. Auguſtini reſponſionibus produci, vnde iſtud efficiatur?

Liceat hîc mihi Theologos omnes appellare, & ab ijs ſciſcitari, puténtne S. Auguſtino potiùs, quàm Adrumetinis fauere illum, qui affirmaret, gratiam efficacem eâdem neceſſitate nos ad bene agendum inclinare, quâ clara viſio Beatos ad amandum Deum inducit, aut quâ Pater & Filius Spiritum ſanctum producunt. Si ex ijs vel vnus reperiatur, qui hac ſententiâ euerti S. Auguſtinum, Adrumetinos verò alióſque humanæ libertatis hoſtes ſubleuari non dicat, Vincentio acquieſcam pugnanti, ſe ab ijs Hæreticis diſcrepare.

Valet etiam ad Vincentij opinionem debellandam argumentum illud, quod ex gratiæ cum libero arbitrio concordia Tapperus accerſit. Nam ſi libertas illa, pro qua S. Auguſtinus dimicat, ita cum gratia efficaci pugnare videtur, vt vix ac ne vix quidem vtriuſque conſenſus explicari poſſit; non eſt profectò libertas illa, quæ in Spiritus ſancti productione reperitur. Quis enim vel difficultatis vmbram ſuſpicetur, in hac poſtrema libertate, cum gratiæ vi conſocianda? Quis ex eo quòd gratia efficax moueat voluntatem *indeclinabiliter* & *inſuperabiliter*, ſequi putet eam libertatem perimi, quæ nec naturali neceſſitate corrumpitur?

SECTIO IIII.

Vincentij opinio in Manichæorum errorem incidit.

FRemat licèt Vincentius & rumpatur, ſcribam denuo efficax eſſe argumentum illud, quo nouum

dogma arcanæ cum Manichæorum Hæreſi ſocietatis conuinco. Sic habet: Manichæi non admiſerunt rigidam coactionem, quâ vnâ liberum arbitrium profligari noua decernit Theologia; Ergo ſi verè illud decernit, immeritò Manichæi damnantur peremptæ libertatis. Quid ad hæc Vincentius? Iraſcitur, & indignabundus exclamat: *Nonne bene ab initio dixi, in toto libri tui diſcurſu regnare perpetuam in nomine, coactio, & , neceſsitas, æquiuocationem. Non ſola ergo rigida coactio aufert libertatem, ſed etiam coactio altera, quæ ſimplicis neceſsitatis ſpecies eſt, & per quam Manichæi humanam libertatem euerterunt.* Quò abriperis Vincenti? Quid velim ego præ iracundia non vides. Recordare me hoc argumento Doctoris tui opinionem petere, quâ liberum arbitrium rigidâ tantùm coactione præfocari defendit. Hoc ſi recorderis (quod obliuiſci non debueras) intelliges profectò meum illud argumentum, non *puerili*, vt ais, *æquiuocatione* laborare, ſed certo & lethali vulnere Doctorem tuum confodere.

At opinionem tuam non lædit. Eſto. Egóne his argumentis nouum Doctorem oppugnare debui, quæ opiniones omnes exſcinderent, quas in poſterum architectabuntur ij, qui ſe eius diſcipulos mentiuntur? Sta Præceptoris tui placitis, nec ea, vt facis, reſcinde, & victricem huius argumenti vim agnoſces. Quanquam & ita torqueri poteſt, vt opinionem quoque tuam labefactet. Nam quid oppones, ſi ita diſputem? Non aliam Manichæi neceſsitatem induxerunt, quàm quæ in amore beatifico, & Spiritus ſancti productione cernitur; ergo ſi illa neceſsitas cum libero arbitrio cohæret, vt Vincentius pugnat, Manichæi liberum arbitrium non extinxerunt. Negabis antecedens, eáque obijcies omnia, quibus contendis, duriorem quandam & magis ineluctabilem neceſsitatem à Manichæis imponi. Sed incredibile dictu eſt quantùm iſta à veritate abhorreant.

Vincentius lib. 1. cap. 18. & lib. 2 cap. 3, ſect. 1.

Statuebant Manichæi duas eſſe in nobis animas, qua-

rum altera delibata eſſet ex Deo particula, altera deciſum ex principe tenebrarum fragmentum: hanc naturali inclinatione ferri in malum, illam in bonum niſi cum alterius blanditiis illecta ſuæ quodammodo naturæ obliuiſcitur,& in malum conſentit. Hæc Manichæorum deliria idcirco maximè Auguſtinus explodit, quòd triplici quaſi vulnere humanam libertatem perimant. Primò, quia arbitrantur malam animam naturali inclinatione peccato delectari. Secundò, quia bonam, cum bene agit, pari id neceſſitate facere decernunt. Tertiò, quia eandem bonam, cum agit malè, non electione propria, ſed alterius impulſu, cui reſiſtere ipſa non poſsit, trahi putant.

Age nunc Vincenti, oſtende triplicem illam neceſsitatem, quâ humana libertas à Manichæis oppreſſa eſt, duriorem eſſe minúſque tractabilem eâ, quam cum libero arbitrio componis. Priores quidem duas ſilentio prætermittis. De tertia verò multa congeris, pugnáſque acriter, malam animam in Manichæorum opinione non ſuaui illa neceſſitate, quâ Beati Deum diligunt, bonam in malum pellicere, ſed maiori quadam, atque duriori illam impellere & præcipitare. Ineptiſsimè. Quoties enim S. Auguſtinus de hac Manichæorum opinione agit, toties docet ſuauiorem ab iis & illecebroſam neceſsitatem admitti. Sic libro de duabus animabus cap. 13. ait Manichæos velle *inferiori genere animarum nos illici ad turpia*. Contra Secundinum verò cap. 19. *Mali naturam peccandi voluntatem in anima ſuadendo facere*. Eiuſdem quóque libri cap. 20. *Bonam animam peccare ſed ſeductam*. Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. Malam animam non aliter nos ad peccandum trahere, quàm fallendo. *Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur. An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, vt caueri omnino non poſsit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt; Quis enim peccat in eo, quod caueri nullo modo poteſt?* Quid clariùs, quàm his verbis

ſuauiorem illam neceſsitatem exprimi, quæ non *duriter*, vt ais, conſenſum extorquet, ſed blanditiis & illecebris eundem elicit?

Sed quo tandem argumento nixus tam apertæ veritati obluctaris? Nimirum, Suaris auctoritate, quam hîc etiam (proh pudor) importunè nobis intentas. Pari iure Petauium atque Ricardum poteras tibi arrogare; neque enim illi diſertiùs, quàm Suares ipſe tuam hanc opinionem reiiciunt: quod fusè ſuperiùs oſtendi. Addis Manichæam illam neceſſitatem ſæpe ab Auguſtino vocari *coactionem*. Sed nihil inde opinioni tuæ probabilitatis accedit. Nam primò, ſi in nomine, *coactio*, vis eſt facienda, indidem colligetur, Manichæos propriè dictam coactionem admiſiſſe, quod tu tamen abſurdiſsimum eſſe profiteris. Deinde S. Auguſtinus diſertè explicat, *coactionis*, voce neceſſitatem purè ſimplicem exprimi, quæ voluntatem ita vni parti alligat, vt ad alteram deuolare non poſſit. Sic libro de duabus animabus cap. 12. dicentibus Manichæis: *bonas animas mali commixtione cogi*, reſpondet: *Si ita coguntur, vt reſiſtendi poteſtas nulla ſit, non peccant*, innuens animam hoc ipſo cogi, quò reſiſtere non poteſt. Quamobrem Præceptor tuus non imperitè notauit libro 2. de Hæreſi Pelagiana c. 1. *coactionis nomine vocari neceſsitatem, quæ ad vnam ſiue boni ſiue mali partem voluntatem affligit; ita vt ad contrarium tranſire non poſsit*. Et paulò poſt ait idem eſſe *cogi*, &, *vtrumque non poſſe*. Idem annotat Gamachæus in 1. 2. quæſt. 13. cap. 5. *vulgò*, inquit, *ita loquimur vt neceſsitatem, ſeu determinationem ad vnum appellemus coactionem*. Addit Eſtius in 2. diſtinct. 24. §. 2. *Deus etiam aliquando cogi dicitur à ſua bonitate & miſericordia: vnde illud in hymno, ipſa te cogat pietas, vt mala noſtra ſuperes*. Quamuis ergo bona anima malæ illecebris cogi dicatur ad peccandum, inde tamen colligi non poteſt, duriori illam neceſsitatē obſtringi, quā quæ eſt in amore beatifico. Clarebit illud ampliuſ ſi duas alias neceſsitates expendamus, quibus li-

berum arbitrium Manichæi deleuerunt.

O te in S. Auguſtini Doctrina tyronem & peregrinum Vincenti! qui neſcias non idcirco tantùm Manichæos extinctæ libertatis ab eo poſtulari, quòd bonam animam malæ blanditiis & ſuaſione neceſſariò in peccatum abripi delirarent: ſed etiam quòd naturali inclinatione bonam in bonum, & malam in malum ferri opinarentur. Hæc cùm expoſuero ſponte euaneſcent illæ tenebræ, quas huic quæſtioni denſiſsimas offundis. Manichæi ergo, vt S. Auguſtinus refert libro 1. Retractat. cap. 15. *Omnia bona hominis bonæ animæ tribuebant*; quam arbitrabantur pari neceſsitate bonum velle, ac Deus ipſe: quòd, vt ait S. Auguſtinus Libro de Hæreſibus cap. 46. *eiuſdem cuius Deus eſt, eſſet naturæ*. Quamobrem vt Theologi cum S. Thoma 1. parte quæſt. 41. art. 2. docent *Deum velle, & amare ſe ipſum naturaliter*: ſeu, *inclinatione & neceſſitate naturali*: ita Manichæi bonam illam animam, quòd eſſet Dei particula, pari prorſus neceſsitate: *naturali* nimirum *inclinatione* bonum amare fingebant. Negare non potes hîc illam à Manichæis neceſsitatem admitti, quâ Deus ſeipſum amat. Affirmat tamen S. Auguſtinus lib. 2. de libero arbitrio contra Manichæos cap. 1. Et Diſputatione 1. contra Fortunatum, affirmat, inquam, quod clariſsimum eſt, hac Manichæorum opinione neceſſariam ad meritum libertatem exterminari. Quâ igitur verecundiâ pugnas eiuſmodi neceſsitatem ex S. Auguſtini ſententia, cum libertate ad meritum requiſita conciliari, & Manichæos liberi arbitrij hoſtes eſſe iudicatos, quòd maiorem quandam neceſsitatem inducerent.

Tuus hic ſtupor inde quoque cõuincetur, quòd aliam animam pari neceſſitate deuincirent. Nam cùm principem tenebrarum eodem prorſus modo malum amare fingerent, quo Deus bonum: aiebant quoque malam animam, quòd eſſet ex illo principe decerpta, ferri in malum naturali neceſsitate, non illâ quidem, quæ agentium

merè

merè naturalium eſt propria; ſed quæ Deo ſe ipſum amanti competit. Hac Manichæorum fabulâ liberum arbitrium excludi ſæpe teſtatur S. Auguſtinus. Sic libro de duabus animabus cap. 12. *Peccati reum teneri aliquem, quia non fecit, quòd facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ, non voluntate faciunt: id eſt, ſi libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent: ſi denique abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus.* Vides his verbis exprimi neceſſitatem illam, quâ Deus naturali inclinatione ſe ipſum amat: Vides Manichæos extincti liberi arbitrij idcirco damnari, quòd malas animas neceſſitate illa naturali peccare decernerent: nec te pudet eiuſmodi neceſſitatem cum libero arbitrio componere: & affirmare toties maiorem quandam à Manichæis inuectam fuiſſe.

SECTIO V.

Refellitur altera Vincentij reſponſio, quâ ſe à Manichæis ſegregat, eiúſque multiplex inſcitia benignè caſtigatur.

NOn ignorat Vincentius quàm futile ſit ac vanum prius illud diſcrimen, quo opinionem ſuam à Manichæorum Hæreſi ſeiungit. Quamobrem quod periti vrbium propugnatores ſolent, debiliorem hanc defenſionis ſuæ partem aliâ quadam reſponſione, ſic quaſi nouo propugnaculo firmare nititur ac munire. Sed infelici planè euentu. Nam ſecunda illa reſponſio & infirma eſt ipſa per ſeſe, & ſi quid erat in ſuperiore ementiti roboris infringit atque labefactat. Fatetur enim *S. Auguſtinum aduersùs Manichæos diſputantem tantam & tam cogentem neceſſitatem vrgere vix ſolere.* Quod argumento eſt, illam à Manichæis non admitti. Cur enim non

Vincentius libro 2. cap. 5. ſect. 2.

vrgeret? Quia, inquit Vincentius, *ei ad victoriam neceſſaria non eſt.* Quî iſtud probas? *Quòd ad debellandos Manichæos Auguſtino ſufficiat, eos introduxiſſe neceſſitatem minorem coactiuâ.* Verum id quidem, ſi neceſſitas minor coactiua liberum arbitrium extinquit: at ſi, vt tantumnon iuras, ſola coactiua neceſſitas ex S. Auguſtini mente liberum arbitrium interimit, nego ſatis eſſe ad debellandos Manichæos introductam ab ijs fuiſſe neceſſitatem minorem coactiuâ. Reſpondet Vincentius hîc latere *myſterium quod Petauius & Ricardus non intelligunt.*

Obſecro te Myſteriorum interpres, ſeu Oedipodis, ſeu Calchantis nomine amas vocari, arcanum illud myſterium nobis enuntia. Quanquam hæc mea vota occupaſti: atque vt rem per ſe ſe difficilem menti noſtræ imprimeres, pleniùs illam atque vberiùs expoſuiſti. Explicationis tuæ hæc ſumma. *Satis eſſe ad Manichæos debellandos, quòd arbitrentur neceſſitatem illam minorem coactiuâ, quam ab ijs tantùm introduci diſſimulat Auguſtinus, non ex primi parentis peccato contractam eſſe, ſed naturaliter homini inditam.* Vnde diſcrimen aliud emergit inter tuam & Manichæorum opinionem. Nam illi peccandi neceſſitatem nobis innatam, tu verò ex primi hominis peccato profectam arbitraris.

Si mihi per pacem pauca tecum loqui liceret, monerem te hæc omnia ex Caluino libro 2. de libero arbitrio eſſe deſcripta. Vbi profligatus ſycophanta acriter indignatur, quòd eum Catholici interpolatæ Manichææ Hæreſis reum faciant. *Auguſtinum*, inquit, *ſic olim vexarant Pelagiani, quaſi cum Manichæis ſentiret.* Tum eadem prorſus ad illam Manichææ Hæreſis ſuſpicionem depellendam producit, quæ hîc nobis inculcas. Libenter hæc te monerem, niſi hanc veritatem ita odiſſes, vt cùm tibi exprobratur, continuò excandeſcas, tuique vix compos non ratione, ſed conuiciis atque iniuriis pugnes. Quare malim iſta omittere, vt te vtar paulò æquio-

re,& arcani illius myſterij pleniorē explicationē eliciam.

Ais ergo S. Auguſtinum cum Manichæis præliantem *diſſimulare*, inimicam natiuæ hominis libertati neceſſitatem ab iis induci, atque in eo diſputationis ſuæ robur collocare, quòd Manichæi *concupiſcentiam naturalem eſſe doceant*. O te harum rerum imperitiſſimum! Quî fieri potuit vt iſtud in cauſæ ſuæ præſidium S. Auguſtinus poſuerit? cùm ipſe libro de dono perſeuerantiæ cap. 11. teſtetur ſe ita cum Manichæis diſputâſſe, *vt etiamſi verum eſſet, quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem* (ita concupiſcentiam appellat) *ſine quibus nullus homo naſcitur, primordia non ſupplicia eſſe naturæ, vincerentur tamen Manichæi.* Et libro 1. Retractationum cap. 9. *Quamuis ignorantia & difficultas etiamſi eſſent primordia hominis naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus, ſicut in eodem libro 3. de Libero arbitrio diſputauimus. Quæ diſputatio contra Manichæos habenda eſt, qui non accipiunt ſcripturas ſanctas veteris inſtrumenti, in quibus peccatum originale narratur, & quidquid inde in litteris Apoſtolicis legitur, deteſtabili impudentiâ immiſſum fuiſſe contendunt à corruptoribus ſcripturarum, tanquam non fuerit ab Apoſtolis dictum.*

Hinc apparet quàm imperitè Vincentius aſſerat, S. Auguſtinum cum Manichæis decertantem cauſæ ſuæ firmamentum in eo poſuiſſe, quòd Manichæi innatam concupiſcentiam, ipſe verò in peccati ſupplicium inflictam diceret. Certè ſi ita haberet inanis eſſet ac vana S. Auguſtini de Manichæis victoria. Nam eò diſputationis pondus incumberet, ſ tne concupiſcentia naturæ primordium, an peccati ſupplicium: nec ante cauſam obtinere S. Auguſtinus poſſet, quàm iſtud poſterius euinceret: quod cùm aduersùs Manichæos nec demonſtrârit vnquam, nec validè ſatis demonſtrare potuerit, quòd Scripturas omnes, vnde illud eruitur, è ſincero canone diſpungerent, inaniter & falsò de Manichæis triumphâſſet.

Quamuis in radice excisa ſint omnia, quæ hinc Vincentius elicere cogitabat: placet tamen audire cuiuſmodi ſintilla. *Hinc ſequitur*, inquit, *Deum non poſſe iuſtè imputare peccata, quæ ex neceſſitate Manichæa committantur; poſſe autem quæ ex concupiſcentiæ neceſſitate ab homine lapſo perpetrantur. Quia Deus in prima naturæ humanæ inſtitutione pleniſſimam & liberrimam bene volendi & operandi poteſtatem ei dedit, quam culpâ ſuâ amiſit.* Quam id rectè colligas poſteriùs capite integro diſcutiam. Vnum id modò quæro: cur de bene agendi neceſſitate nihil dicas. Neque enim S. Auguſtinus Manichæis tantùm obiicit, ex eorum dogmate conſequi, non eſſe punienda peccata, ſed etiam bona opera non eſſe præmio afficienda. Age ergo, quemadmodum docere conatus es, cur Manichæi peccatorum ſupplicia tollerent, etſi eam tantùm malè agendi neceſſitatem, ſed à natura profectam, inducant, quam tu admittis: ita modò explica, cur bonorum operum merita adimant, ſi eam tantùm bene agendi neceſſitatem à natura inſitam putent, quam tu per gratiam medicinalem nobis imponi contendis. Quantùm ſudabis Vincenti, ſi huic explicandæ quæſtioni ſeriò te accingas! An quemadmodum ad iuſtam peccati pœnam requiris, vt homo in prima ſaltem origine habuerit non peccandi facultatem, eámque culpâ ſuâ amiſerit: ita ad boni operis præmium deſideras, vt qui neceſſariò bene agit, ſaltem in creatione habuerit poteſtatem non bene agendi? Si tibi conſtare velis, id vnum proferes; At iſtud tamen quàm abſurdum ſit, vel inde collige, quòd Chriſti Domini operibus meritum omne abroget, cùm nunquam peccare potuerit.

Alius ex hac Doctrina tua ſcrupulus emergit. Doces S. Auguſtinum ita cum Manichæis diſputare, quaſi *principium malum Manichæorum, ex modo ſuo agendi & flectendi voluntatem in malum, libertatem arbitrij naturalem non euertat*: ſed tantùm *excuſet à culpa, quòd à natura ſit.* Tam inſulsè de hac S. Auguſtini diſputatione non garri-

res ſi vel carptim ac deſultoriè libros legiſſes, quibus illa continetur. Neque enim Manichæis tantùm obijcit, eos peccata tollere, ſed etiam frequentiùs exprobrat, liberum ab ijs arbitrium euerti. Hoc in Diſputationibus contra Fauſtum, Fortunatum, Felicem, & Secundinum Manichæos: hoc in opere de duabus animabus: hoc in libris de libero arbitrio ſæpius inculcat. Nec vſquam ferè ſui aduersùs Manichæos certaminis meminit, quin afferat inde illud fluxiſſe, quòd Manichæi negent liberum arbitrium, vt patet ex libro 1. Retract. cap. 9. & 10. Immo non alio argumento efficere ſolet peccata ab ijs tolli, quàm quia liberum arbitrium intcrimunt. Sic Diſput. 1. contra Fortunatum: *Quæ peccata, niſi liberum arbitrium eſſet, peccata non eſſent.* Sic libro de duabus anim. cap. 12. Sic libro 22. contra Fauſtum cap. 21. Compendio dicam, nullibi S. Auguſtinus probat ex Manichæorum opinione ſequi nulla eſſe peccata, quin eodem loci liberum ab ijs arbitrium eripi, non obſcurè ſignificet. Facit igitur ſuo more Vincentius, id eſt audaciſſimè imponit, cùm affirmat S. Auguſtinum ita cum Manichæis agere, *quaſi libertatem arbitrij non euerterent.*

Inultum abire non debet quod his Vincentius attexit. Scripſeram ego nouæ opinionis artifices perinde ac Manichæos liberum arbitrium abolere: cúmque id multis rationibus effeciſſem, iſtud addideram: *Nihil prorſus ad rem facit quod cum Caluino aiunt, non eſſe ab natura concupiſcentiam. Certè ſi neceſsitas, quam inducit concupiſcentia, libero arbitrio capitaliter eſt infenſa, vndecunque ſit illa, ſiue à natura, ſiue à peccato liberum arbitrium eodem modo peſſumdabit.* Iſtud acriter Vincentius exagitat, pluribúſque contendit, multùm illud ad rem facere, *quia hinc ſequitur Deum non poſſe iuſtè imputare peccata, quæ ex neceſsitate Manichæa committuntur, poſſe autem quæ ex concupiſcentiæ neceſsitate ab homine lapſo perpetrantur.* Eſto, id ſequatur: non iſtud modò diſputamus. Agitur de libero arbitrio, atque hoc vnum quæritur: An neceſſitas

Manichæa hoc ipſo præciſè, quòd à natura eſt inſita, liberum arbitrium potiùs extinguat, quàm neceſſitas alia eiuſdem rationis, aliunde tamen profecta. Quod à me iure negari, & validè refelli tu ipſe profiteris, cùm doces, neceſſitatem peccandi, quæ ex concupiſcentia fluit, etiam ſi eſſet innata *libertatem arbitrij naturalem non euerſuram*. Non eſt ergo quòd hanc argumẽtationem meam arrodas, cui tam apertè ſubſcribis.

Cur verò aliam cauillaris, quam his verbis concepi: *Si concupiſcentia eſſet à natura eodem modo liberum arbitrium euerteret, quo malum principium Manichæorum; Ergo & nunc ita euertit?* Quia tunc, vt ais, imputari peccatum non poſſet, modò verò poteſt. Næ tu inſigni calumniandi libidine teneris. Iſtúdne eo loci diſceptatur? Adde probationem illam, quam huic argumento ſubieci, quámque tu callidè ſupprimis & omnes intelligent te in illud ipſum, quod vellicas, mecum conſpirare. *Probatur,* inquam, *conſequutio. Etiamſi concupiſcentia eſſet à natura, non eriperet homini libertatem à coactione, ſed ſolam libertatem à neceſſitate: Atqui fatentur Aduerſarij concupiſcentiam in hoc ſtatu eripere nobis libertatem à neceſſitate quia neceſſariò ad malum inclinat; Ergo in hoc ſtatu eodem modo abolet liberum arbitrium, quo ſi eſſet à natura.* Negare non audes hoc argumento inuictè confici, quod vnum pugnabam, eos à Manichęis non diſtare, qui cum Caluino ſolam à coactione libertatem homini lapſo vindicant. Cur ergo hîc genuinum infigis? cur mihi tam aperto patentíque in loco inſidias moliris?

Caput poſtea integrum iis refellendis impendam, quæ intempeſtiuè Vincentius hîc ingerit, vt vincat peccandi neceſſitatem, quam ex Adamo propagatam fingit, culpam non abſtergere Quamobrem vna tantùm ſupereſt hoc loco propulſanda calumnia, quâ mihi *hiſtoriæ errorem* obiicit, quod ſcripſerim: *docuiſſe Manichæos bonam animam, ſi victrix eſſet, neceſſariò nos in bonum inclinare.* Quæ verba vt in crimen vocet, ita interpretatur,

quaſi dixiſſet, *malam animam à bona cogi benefacere*, quod manifeſtè repugnat S. Auguſtino affirmanti libro 1. Operis imperfecti cap. 99. *Manichæum non dicere naturam mali cogi benefacere à natura boni*. O ieiunam leuíque nixam fundamento criminationem! Itáne verò qui ait *boni naturam cum victrix eſt nos ad bonum neceſſariò inclinare*, idem hoc ipſo affirmare tibi videtur, *malam animam à bona cogi benefacere?* Si ita habet; igitur cùm doces gratiam concupiſcentiæ victricem neceſſariò nos ad bonum impellere; doces quoque gratiam cogere ipſam concupiſcentiam bene agere. Sic tuis laqueis irretiris, quibus te explicare non potes, quin me pariter expedias, atque hæc mea verba eò tantùm valere demonſtres, vt aſſeram, in Manichæorum opinione homines aliquando bene agere, ſed neceſſariò, atque eo tempore, quo in malæ bonæque animæ cõflictu ſuperior hæc euadit, quæ eſt germana & pluribus S. Auguſtini locis conteſtata Manichæorum opinio.

Huius calumniæ occaſio tibi nata eſt ex inſigni errore, quem hîc breuiter obiurgabo. Ais Manichæos docuiſſe, *hominem mortalem omnis bonæ voluntatis naturâ ſuâ incapacem eſſe*, neque illud diſertè tantùm & explicatè aſſeris, ſed etiam ita probas: *Anima mala nunquam animam bonam aliquid boni velle ſinit, ſed eſſentialem eius libertatem neceſſariò in aliquod malum ſemper flectit*. Tu hæc ſcribas Vincenti? Tu, inquam, qui familiarem tibi S. Auguſtinum eſſe gloriaris? Neſcis ſæpius illum inculcare, quod habet Libro 1. Retract. cap. 15. *Manichæos omnia bona hominis bonæ animæ; omnia verò mala malæ animæ tribuere*? Neſcis eundem teſtari ſæpius, ac præcipuè Diſputatione 2. contra Fortunat. Manichæos docere quaſdam animas *per emendationem delictorum, bonorum operum gratiâ meritum ſibi reconciliationis apud Deum collocare, authore Saluatore noſtro, qui nos docet bona exercere?* Neſcis denique S. Auguſtinum affirmare lib. de duabus animabus cap. 12. Manichæos inde colligere duas eſſe

animas, *quòd modò in peccatum proni ſumus, modò in rectè factum ſubuecti?* Reliqua non colligo S. Auguſtini libris aſperſa, ex quibus liquidò conſtat Manichæos non dixiſſe, *nunquam animam bonam aliquid boni velle.* Quàm inſoleſceres Vincenti, quàm ferociter inſultares, ſi me tam manifeſto in errore deprehendiſſes?

CAPVT V.

Nouam opinionem ab ijſdem Concilijs atque Pontificibus damnari, quibus Lutheri Caluinique Hæreſis proſcripta eſt.

QVâ mente Vincentius queritur vltima Concilia, & poſteriores Eccleſiæ Romanæ Pontifices à me ſæpius appellari; quàm *vetera Concilia Africæ & Galliæ circiter S. Auguſtini tempora, & eiuſdem æui Pontifices?* An eò pertinet hæc illius querela, vt poſteriorum Pontificum atque Conciliorum auctoritatem eleuet? Certè eodem loci diſertè affirmat: *Pium V. & Gregorium XIII. ſua decreta obſcuriùs edere, quia eloquentia Philoſophorum ab aliquot iam ſæculis in Scholas Theologicas introducta.* Quod per ſeſe in Romanos Pontifices contumelioſiſſimum eſt, & ad Concilia quoque ſpectare credi poteſt, ſiue quòd eadem amborum videatur eſſe ratio: ſiue quòd Sancyranus, quem noua opinio alterum parentem agnoſcit, dicere ſoleret, vt ex Actis conſtat Regia auctoritate confectis, *Concilium Tridentinum fabricatum eſſe à Papa & Scholaſticis, qui in eo Eccleſiæ Doctrinam plurimùm immutarunt.* Nolim tamen arbitrari hanc fuiſſe Vincentij mentem. Hoc vnum contendo, iniuſtè illum expoſtulare quòd ad poſteriores Pontifices atque Concilia ſæpius prouocem. Nam cùm in eo ſit diſputationis meæ poſitum robur, vt

vincam nouum dogma nihil à Caluini, Lutheríque Hæreſi diſcrepare, & cum ea pariter fuiſſe damnatum, ea profectò Concilia, eóſque Pontifices ſæpius appellare debui, à quibus Lutheri Caluiníque Hæreſis obtrita eſt. Quàm verè autem, quámque non immeritò eorum mihi auctoritatem aſciuerim, vel inde cognoſci poteſt, quòd Vincentius Senonenſe Concilium eiurare, eáſque interpretationes, quibus nouus Doctor Concilij Tridentini, & Romanorum Pontificum decreta eludit, repudiare ſit coactus.

SECTIO I.

Tria præmittit Vincentius ad Tridentini canonis explicationem, quorum primum noui dogmatis principem confodit: ſecundum Caluino aduersùs Tridentinos Patres pugnanti fauet: tertium cum ipſius Vincentij placitis pugnat.

QVanti ſit laboris cum aperta veritate luctari, ſuo hîc exemplo Vincentius oſtendit. Nam incredibile dictu eſt quantùm æſtuet, vt Concilij Tridentini auctoritate, quâ manifeſtè opprimitur, ſe ſe expediat. Definit Concilium ſeſſ. 6. canone 4. hominem poſſe gratiæ diſſentiri, ſi velit: atque illud anathemate ſancit in hæc verba: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentiri, ſi velit; ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque paſſiuè ſe habere, Anathema ſit.* Quæ verba Doctores Catholici eò valere arbitrantur, vt Caluini opinionem proſcribant, quâ neceſſitatem naturalis inclinationis, cuiuſmodi eſt in Dei erga ſe ipſum, aut Beatorum erga Deum amore, libero arbitrio infenſam negat. Ita diſertè

Guillelmus Eſtius in 2. diſt. 24. §. 1. & 2. *Vt intelligamus*, inquit, *quàm neceſſariò tenenda ſit hæc Doctrina, quâ (aduerſus Caluinum & Bucerum) dicimus ad liberi arbitrij rationem pertinere vt ſit liberum à neceſſitate naturali* (cuiuſmodi illam eſſe ait, quâ Beati Deum amant, aut quâ volumus eſſe felices) *notandum eſt quod habetur in Concilio Tridentino Seſſ. 6. canone* 4. Ita quoque Ioannes Wigers in 1. 2. quæſt. 6. art. 1. & 2. Alexander Peſantius 1. 2. quæſt. 6. art. 3. diſp. 4. Gabriel Pennottus lib. 1. cap. 16. Aluares lib. 12. de Auxilijs diſp. 115. & lib. 4. Reſponſ. cap. 1. Ita denique Catholici omnes, qui hactenus hunc canonem ſunt interpretati. Neque enim ex ijs vel vnus proferri poteſt, qui contrarium ſentiat.

Quid agit Vincentius tam graui & manifeſtâ auctoritate oppreſſus? Quod ſolent ij, qui lethali accepto vulnere non ſat habent rationis in armis. Nimirum in Doctorem ſuum, in Phyſicæ prædeterminationis aſſertores, in ſe ipſum, in omnes incurrit: Nec ab vllo cenſuram abſtinet, niſi forte à Caluino, quem etſi verbo tenus lædat, re tamen ipſa Concilij fulminibus ſubducit.

Libro 2. cap. 7. ſect. 1. Primò, clariſſima veritatis luce conuictus fateri cogitur, plus aliquid his verbis definiri: *Liberum arbitrium poteſt diſſentire, ſi velit*, quàm iſtis, in vulgari ſenſu acceptis, *Liberum arbitrium non ſe habet merè paſſiuè*: atque adeo concedit priori ſententia Caluinum damnari, quamuis poſteriori ne leuiter quidem perſtringatur. Quâ confeſſione abiurat periculoſum errorem Doctoris ſui affirmantis, libro 8. de Gratia Chriſti cap. 17. id vnum hoc canone ſtatui, *homines non velut exanimes nihil omnino agere cum gratia, inſtar trunci ſe habendo*. Neque alia mente *Concilium poteſtatis illius diſſentiendi meminiſſe, niſi vt oſtenderet ex contrario, arbitrium ſub gratia non nihil omnino agere veluti inanime quoddam, non merè paſſiuè ſe habere. Nam iſtud*, inquit, *poſſe diſſentire, ſi velit, tanquam ratio aſſignatur à Concilio doctrinæ immediatè præcedentis, quâ dixerat, quòd homo ipſe non nihil omnino*

agat inſpirationem illam recipiens. Quapropter paulò pòſt Capite nimirum 21. acerrimè negat damnari à Concilio Tridentino quod Caluinus docet liberum arbitrium hoc ipſo cum gratia conciliari, quò voluntas non ſe habet merè paſſiuè, nec velut inanime quoddam, aut inſtar lapidis nihil agit. Vnde colligit *Concilium tacitam intactámque prateriuiſſe* Caluini *opinionem de natura libertatis*, quâ *libertatis rationem, à qua liberum arbitrium dicitur, inexperte coactionis voluntate ſitam* putat. Quæ omnia ſuperiori illa Vincentij confeſſione, quaſi inductâ ſpongiâ obliterantur. Cur igitur ferre non poteſt hanc Doctoris ſui opinionem à me exagitari, quam ipſe tam manifeſti, támque periculoſi conuincit erroris?

Secundò, de nobis ita loquitur: *Volunt Synodum docere, gratiæ adiutorium, quod homini iam infirmo infunditur, eſſe ſimile ſani hominis adiutorio; ac proinde à Synodo ſublatum fuiſſe celebre illud duplicis adiutorij diſcrimen, quod libro de Correptione & gratia, ac alibi S. Auguſtinus docuit Eccleſiam*. Gratias tibi ago Vincenti, quòd vulgarem huius canonis interpretationem iiſdem armis impetas, quibus Canonem ipſum Caluinus oppugnauit. *Falluntur* inquit in Antidoto ad ſeſſ. 6. *Neptunij Patres, quòd nullum obſeruant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miſeriæ noſtræ ſubuenit, & primam quæ Adamo data fuerat diſcrimen, quod diligenter Auguſtinus obſeruat*, &c. Eodem telo vtitur quoties cum Sorbonicis, aliiſque Romanæ Eccleſiæ Doctoribus de hac quæſtione dimicat. Vtuntur & omnes ab eo prognati Hæretici, qui id vnum Catholicis obijciunt, gratiam ſanitatis pro medicinali Chriſti gratia ſumi à Tridentino, cùm definit: *Liberum arbitrium poſſe gratiæ diſſentiri, ſi velit*.

Vides vnde nata ſit hæc Vincentij querela; quò pertineat, paucis obſerua. Doctores omnes, qui à Concilij Tridentini temporibus in Eccleſia Catholica floruerunt, erroris inſimulat. Cedò enim vel ex iis vnum, Vincenti, qui de illo vtriúſque gratiæ diſcrimine vobis aſſentiatur?

Vnde hunc quæſo, & quibus è caſtris euocabis? An ex phyſicæ prædeterminationis auctoribus? Quos nempe Doctor tuus libro 8. de Gratia Chriſti cap. 3. hoc elogio exornat: *Tollunt differentiam integræ, lapſæque voluntatis, tollunt neceſſitatem duplicis adiutorij quo, & ſine quo non, tollunt obſcurántque veram radicem gratiæ medicinalis, &c.* An ex iis qui phyſicam prædeterminationem repudiant? At illud diſcrimen ab iis ſublatum acerbiùs multò atque ſtomachoſiùs quereris. Quem ergo ex ſuperioris ſæculi ſcriptoribus huiuſce opinionis tuæ fundum habes, & auctorem? Neminem profectò præter Lutherum, Caluinum, Bezam, Petrum martyrem, Molinæum, alióſque Lutheranæ aut Caluinianæ nationis principes.

Proh pudor! Quis id ferat? S. Auguſtini locum de vtriúſque gratiæ diſcrimine tentarunt hactenus Catholici ferè omnes atque Caluiniſtæ: Caluiniſtæ Vincentianam illam interpretationem amplectuntur, & quaſi certam ad hunc Concilij Tridentini canonem labefactandum Machinam importunè nobis intentant: Catholici verò reſpondent, *non eſſe iſtam ſententiam Auguſtini, ſed coaceruationem multorum mendaciorum à Caluino compoſitam.* Ita Pennottus libro 9. cap. 13. Franciſcus Horantius lib. 1. cap. 55. qui hæc in Concilio Tridentino ſcripſit, & cum Tridentinis Patribus communicauit, Ioannes Malderus in 1. 2. de diuiſione gratiæ dub. 4. Bellarminus in Præfatione de Libero arbitrio, aliíque omnes qui his de rebus cum Caluino conflixerunt. Et perſuadere Vincentius nititur nos Concilio Tridentino aduerſari, dum opinionem illam explodimus, quam Hæretici omnes ad labefactandos eiuſdem Concilij Canones adhibent: omnes Catholici, qui cum illis pugnarunt, repudiant? Quæſo te, Vincenti, id tecum reputa, atque huiuſce opinionis tuæ originem ſcrutare; neminem reperies ante Lutherum aut Caluinum, qui hunc S. Auguſtini verbis ſenſum affinxerit.

Sed vt intelligas quæ ſit Catholicorum ſententia, quid-

ve Caluiniano huic argumento reſpondeant: Sic habeto, eos de omni prorſus gratiâ, ſiue ſanitatis illa ſit, ſiue ægritudinis, cum S. Thoma 1. 2. q. 112. art. 3. ita ſtatuere: *Alio modo poteſt conſiderari* (gratiæ auxilium) *ſecundùm quod eſt à Deo mouente: & tunc habet neceſsitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non poteſt, ſecundùm quod Auguſtinus dicit in Libro de Prædeſtinatione Sanctorum, quòd beneficio Dei certiſsimo liberantur, quicunque liberantur. Vnde ſi ex intentione Dei mouentis eſt, quòd homo cuius cor mouet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur, ſecundùm illud Ioannis 6. Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me.* Hæc, inquam, de gratia vniuersè ſpectata Catholici ſtatuunt, atque vt Caluinus fateri debet vim gratiæ Angelis conceſſæ, *pro vt erat à Deo mouente*, non impedire quo minus de Angelis ab Auguſtino verè dicatur, eos potuiſſe gratiæ adiutorium *deſerere ſi vellent*, ita contendunt vim medicinalis gratiæ, *pro vt eſt à Deo mouente*, non repugnare Concilio Tridentino definienti, hominem lapſum *Deo excitanti poſſe diſſentire, ſi velit.* Sic prorſus vt duæ illæ ſententiæ, quæ ſimillimæ ſunt, atque iiſdem ferè verbis conceptæ: *Poterat Angelus gratiæ adiutorium deſerere, ſi vellet:* Et: *Poteſt iam homo gratiæ diſſentire ſi velit*, eodem modo explicentur. Hæc Catholicorum reſponſio, quâ Caluinianum illud argumentum, quo Vincentium vti non pudet, diffringitur.

Tertiò, vt ad huiuſce canonis interpretationem ſe accingat, præmittit, *voluntatem tam in ſupernaturalibus, quàm naturalibus electionibus ſemper eligere ac præferre id, quod magis delectat. Quod enim ampliùs nos delectat ſecundùm id operemur neceſſe eſt.* Si iſtud Doctoris tui effatum tantopere probas, cur ea argumenta, quibus à me impugnatur, non diſſoluis? Verum quî poſſes, cùm plurima toto paſſim operi tuo aſpergas, quæ inuictum illis robur conciliant? Ais libro 2. cap. 8. ſect. 4. *tam Adamo*

ſtanti quàm Angelis opus fuiſſe etiam auxilio voluntatis, quo ipſa à centro naturalis amoris ſui (in quod omnis creatura propendet) verſus creatorem & ſupernaturalis amoris centrum reflecteretur. Porrò auxilium voluntatis hîc definis, *ſuauitatem quandam ſpiritalem ſeu delectationem, quæ vitalis actus, & indeliberatus eſſe debet.* Si ita habet, vel ſuperius illud effatum, vel celebre vtriuſque gratiæ diſcrimen tibi abdicandum eſt. Nam ſi voluntas neceſſariò eligit, quod magis eam delectat: Et Angelorum ac Adami voluntas perinde ac noſtra habuit quod eam magis delectaret: nimirum cæleſtem ſuauitatem, aut naturalem amorem; igitur perinde ac noſtra neceſſario elegit. Obſecro iſtud attentiùs expende. Ais voluntatem Sanctorum medicinali gratia aſpirante bene agere neceſſariò, quia plus illam delectat ſpiritualis illa dulcedo, quàm contraria concupiſcentiæ ſuauitas: Cur ergo Angelorum voluntas pari neceſſitate Deum non amauit, cùm ſpiritali quoque dulcedine delibuta fuerit, quæ illam multò delectauit magis, quàm contraria naturalis amoris illecebra; Cur, inquam, Angelorum voluntas, perinde ac noſtra neceſſariò non egit, cùm doceas verum eſſe generatim, voluntatem ſecundùm id neceſſariò agere quod magis eam delectat? Hinc te ſi potes expedi.

Quod verò hîc ſtatuis, *voluntatem etiam in naturalibus electionibus ſemper & neceſſariò eligere, quod magis eam delectat*, plurimùm valet ad alia argumenta confirmanda, quæ eodem loci pluribus vrgeo. Primarium eſt illud, quo euincere ſum conatus, ex opinione veſtra conſequi, nullum omnino à voluntate actum exire, qui neceſſitate non exprimatur; contra quàm aſſeris libro 1. cap. 26. *in actionibus indifferentibus, vt an equo, an pedes iter ad proximam ciuitatem conficere quis velit; item in actionibus vtrimque malis, vt, an intemperanter epulari, an ad vanam gloriam abſtinere quis malit, tam in vtramuis partem liberos nos eſſe quàm Adamus ad bonum & malum olim fuit.*

Qui ſtare illud poteſt, cum eo quod modò affirmabas, voluntatem etiam in naturalibus electionibus neceſſariò eligere quod magis eam delectat? Nunquid electiones illæ, quas hîc *indifferentes* vocas, naturales ſunt? Nunquid in ijs habet voluntas quod eam magis delectet? Certè Antiſtes tuus decernit libro 4. de Gratia Chriſti cap. 7. *Voluntatem ſine delectatione velle, aut moueri nullo pacto poſſe. Quod ſanè*, inquit, *reſpectu cuiuſlibet operationis locum habet.* Eſt igitur in his electionibus quod voluntatem delectet, atque adeo vt plurimum quod magis delectet, neque enim fieri poteſt, vt ſemper ſit æqualis vtrimque delectatio. In his ergo voluntas perinde atque in ſupernaturalibus neceſſariò eligit. Et tamen aſſeris, nos in eiuſmodi actionibus tam in vtramuis partem liberos eſſe, quàm Adamus olim fuit? Sic tecum pugnas, ſic te ipſum confodis.

Alia argumenta non commemoro, quibus hæc Vincentij opinio infringitur. Potes illa ex eo loco repetere, vbi à me tractata ſunt vberiùs. Indidem quoque cognoſcas, quo ſenſu de hominibus, ſiue in ſtatu naturæ integræ, ſiue corruptæ ſpectatis, S. Auguſtinus dixerit, *Secundum id operemur neceſſe eſt quod magis nos delectat.*

SECTIO II.

Geminam Tridentino canoni explicationem Vincentius adhibet; quarum altera nouum dogma labefactat: altera à communi Theologorum omnium ſenſu abhorret.

SEd quorſum ſpectant hæc Vincentij præludia? Quid ex iis colliget? Nimirum, quod nouum dogma, cuius ſe vindicem profitetur, manifeſtè conuellit. *Igitur*, inquit, *veriſſimum eſt, quod affirmant Tridentini Patres: liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, poſſe diſſentire, ſi velit. Ratio eſt, quia ſi primo inſtanti quo*

gratiæ prima ſuauitas per actum vitalem indeliberatum infunditur, non illico addatur conſenſus voluntatis (poteſt enim tam velox eſſe, vt ſine mora adyciatur, poteſt etiam differri) nihil vetat quin liberũ arbitrium non tantùm poſſit diſſentire, ſed etiam ipſo facto diſſentiat. O vocem veritatis vi extortam! Rationem addit. *Fieri enim poteſt, vt in pugna ſpiritûs & carnis, dum aliqua fortè tantùm leuis gutta ſpiritualis mellis in voluntatem pluit, eodem momento maior torrens carnalis voluptatis irruat; ad quam voluntas ſe per conſenſum conuertat, & à minori dulcedine ſpiritali per diſſenſum ſe auertat. Et perinde eueniet, etiamſi non guttam tantùm, ſed pleniorem aliquam gratiæ menſuram Deus infundat; modò abundantiori interim carnis aut ſæculi (quod accidere poteſt) delectatione vincatur.*

Illud ipſum eſt quod ex Doctoris tui opinione conſequi demonſtraui Diſputationis Libro 2. cap. 4. ſect. 3. §. 3. Nimirum, fieri perſæpe vt gratia medicinalis nullum à voluntate concupiſcentiæ ignibus inflammata conſenſum eliciat: quemadmodum non rarò contingit, vt voluntas copioſiori ſpiritus dulcedine perfuſa titillantis concupiſcentiæ illecebras penitus repudiet. At iſtud tamen quàm eſt Doctoris tui placitis infenſum? Ea profectò labefactat omnia, quibus tanto teſtimoniorum apparatu ac pompa probare nititur, *Nullam prorſus medicinalem gratiam effectu carere; ſed eum in omnibus, quibus datur, infallibiliter operari.* Nam ſi, vt ais, gratia perſæpe nullum à voluntate conſenſum impetrat, quàm imperitè facit, dum pugnat, nullam hoc in ſtatu gratiam concedi, quæ non ſit efficax, cuíque illud S. Auguſtini Libro de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 8. non conueniat: *Gratia à nullo duro corde reſpuitur?* Quàm ineptè omnem Chriſti gratiam hac definitione ex Libro de Correptione & grat. cap. 11. & 12. petitâ comprehendi putat: *Secunda ergo gratia plus poteſt, qua fit etiam vt velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat?* Quid? cæleſtis illa ſuauitas,

Lib. 2. de gratia Chriſti cap. 25.

uitas, quam voluntati Deus infundit, quæque maiori carnis delectatione obruitur, nonne eſt Chriſti gratia? Reſpuitur tamen illa, nec carnem contraria concupiſcentem vincit. Pudeat te Vincenti ſic à Doctore tuo deficere.

Erit fortaſſe qui hîc à Vincentio aliud nihil dici putet, quàm quod eius Patriarcha fatetur his verbis: *Multos diuinitus colluſtari, imò verò & in ipſa voluntate motibus Diuinæ gratiæ percelli, qui tamen ab eius interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt.* Sed mirum quantum diſcrepant. Nam his verbis nouus Doctor id tantùm innuit, gratiam Chriſti perfectum à voluntate conſenſum aliquando non exprimere, ſed ita tamen vt cum *liberas quaſdam velleitates vel complacentias excites* neceſſariò. Quapropter eodem loci contendit, omnem prorſus Chriſti gratiam eſſe efficacem, quia vel perfectum conſenſum, vel imperfectum neceſſariò elicit. At Vincentius docet, gratiam medicinalem tam copioſa aliquando carnis delectatione opprimi, vt nullum prorſus à voluntate conſenſum impetret. Quâ in re Doctore ſuò acutiùs, magíſque conſentaneè ratiocinatur. Nam cùm vterque aſſerat parem eſſe concupiſcentiæ atque gratiæ ad voluntatis conſenſum exprimendum vim & efficaciam: Et conſtet concupiſcentiam aliquando victricis gratiæ impetu ita retundi, vt *ſenſum faciat ſine conſenſu*, ſic Patres loquuntur; vel vt *Solum impulſum libidinis* (S. Auguſtini verba ſunt lib. 6. contra Iulianum cap. 11.) *operetur, ſine conſenſione peccati*: idem profectò de gratia dici debuit; ſic illam aliquando exundantis concupiſcentiæ vi abſorberi, vt ne imperfectum quidem à voluntate conſenſum eliciat. Et verò vnde leuis illa gratiæ guttula, quæ à contraria concupiſcentia vincitur, imperfecti conſenſus neceſſariò exprimendi vim traheret, cum nouus Doctor aſſerat, gratiam tunc tantùm neceſſariò effectum ſortiri, cùm eſt carnali concupiſcentiâ ardentior, iuxta illud: *Quod magis nos delectat*,

Libro 2. de gratia Chriſti cap. 27.

ſecundùm id operemur neceſſe eſt.

Timuit Vincentius ne ſuperior illa Tridentini canonis explicatio Præceptorem ſuum Anathemati ſubiiceret. Quamobrem alia quædam attexit, quæ cum eius dogmate conſentiunt. *Gratia*, inquit, *non violat eſſentialem voluntatis libertatem. Quod quia Caluinus negabat qui dicebat voluntatem humanam actione quidem ſuâ gratiæ cooperari, ſed naturæ quodam irreſiſtibili impetu ad vnam partem alligari* (id eſt, vt ipſe Vincentius explicat, maiori quadam neceſſitate conſtringi, quàm quæ in amore Beatifico, & Spiritus ſancti productione reperitur) *ideo Concilium, ad oſtendendum humani arbitrij manere libertatem, quâ in illo conſenſu, vt in cæteris liberis ſuis affectibus, voluntas ſe mouet, definit, Poſſe diſſentire, ſi velit.*

Non eſt hîc diſceptandum de Caluini opinione, quam mala fide à Vincentio exponi pluribus demonſtraui. Id vnum obſeruo, ex eius ſententia non erraturum Caluinum, neque hoc Concilij Tridentini canone percellendum, ſi aſſereret medicinalem Chriſti gratiam non aliam nobis bene agendi neceſſitatem afferre, quàm quæ à clara Dei viſione Beatis imponitur. Vnde conſtat eum ad Doctoris ſui ſentẽtiam redire, qui arbitratur Tridentinos Patres eodem ſenſu dixiſſe: *Hominem Deo vocanti liberè aſſentiri, quia poteſt diſſentiri, ſi velit*, quo ipſe ait: *Beatos liberè Deum amare, quia ceſſarent, ſi vellent.* Et quod eodem recidit: Deum liberè non peccare, quia peccaret, ſi vellet.

Quæ iocularis argutia, vt ab Hæreticis profecta eſt, ita à Catholicis contra illos pugnantibus multiplici ratione confutatur. Compendio illas colligit Gabriel Pennottus libro 9. cap. 15. *Non debet*, inquit, *vllo modo admitti illa gloſſa, quâ nonnulli dicunt Concilium definiuiſſe, quòd liberum arbitrium poteſt diſſentiri, ſi velit ſub conditione voluntatis, eo modo quo D. Thomas explicat dictum illud Ariſtotelis, Deus & ſtudioſus poteſt praua operari, vi-*

delicet, ſi velit: nihil enim prohibet hanc conditionalem: Deus poteſt peccare, ſi velit, eſſe veram, licèt antecedens, & conſequens ſit impoßibile. Tum rationes addit propter quas hæc interpretatio repudiari debet. *Eſt*, inquit, *illa gloſſa à Wiclefo excogitata ad rationes Catholicorum eludendas, quam Thomas Valdenſis Libro 1. Doctrinalis cap. 15. reijcit tanquam erroneam, & contra diuinam ſcripturam: quia quando ſcriptura docet, Deum plura quàm faciat, facere poſſe, ſi velit, ſupponit, Deum poſſe velle. Ita à pari quando Concilium inquit, liberum arbitrium Diuinæ gratiæ poſſe diſſentire, ſi velit: ſupponit illud poſſe velle diſſentire; alioqui nihil contra Hæreticos definiuiſſet. Quia & Caluinus, & ipſe Wiclef, & quiuis alius fati aſſertor ſine vlla contradictione admitteret hanc conditionalem, voluntas à Deo mota per gratiam efficacem poteſt Diuinæ motioni diſſentire, ſi velit. Sed negabunt illam velle poſſe. Quare debet Catholicus ab iſtis gloßis frigidis cauere.* Hæc argumentorum ſumma quibus inanem illam argutiam confutaui Diſputationis libro 2. cap. 1. ſect. 4.

SECTIO III.

Alterum Concilij Tridentini locum immani deprauatione Vincentius corrumpit.

Alia eſt, eáque palmaris Vincentij cauillatio, qua Tridentini illius canonis originem, caput nempe quintum eiuſdem ſeſſionis fœdè corrumpit. Concilij verba ſunt: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agit inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam abijcere poteſt*, &c. Quæ Catholici Doctores cum Andrea Vega lib. 6. cap. 9. eò pertinere arbitrantur, vt *excitantis gratiæ adiutoria ſæpe propter libertatem noſtram fruſtremus. Quia enim Deus ſuauiſſimè omnia adminiſtrat, & vnamquamque rem pro modulo ſuæ naturæ ad ſuas operationes mouet, permittit*

nobis, vt ſuis vocationibus, & excitationibus reſiſtamus.

Vincentius libro 2. cap. 7. ſect. 2. Reclamat huic interpretationi Vincentius, atque vt ingenioſus eſt, aliam quãdam Theologis omnibus prorſus inauditam ſuopte marte procudit. *Deinde*, inquit, *cùm Synodus addit: Quippe qui illam & abÿcere poteſt, probat quod proximè præceſſit, hominem non omnino nihil agere, in iſto, etiam quantumuis ſubito cordis attactu; ſed huiuſmodi Diuinæ illuminationis & inſpirationis tactum vitalem eſſe, etiamſi in nobis ſine nobis fieri dicatur, quando primo primus, & liber non eſt. Nam ſi à nobis merè patientibus reciperetur, nec quidquam omnino anima noſtra vitaliter cooperaretur, eum non magis, quàm mortui habitûs infuſionem experientiâ perciperemus, ac proinde nec abÿcere poſſemus cùm abiectio iſta ſit fuga & auerſio quædam voluntatis, quâ motum, quo anima ſe tangi ſentit, conatur excutere.* O te ſolertem & ingenioſum, Vincenti, qui ex his Tridentini Concilij verbis hunc ſenſum expreſiſti, quem nemo fuerat odoratus?

Vis ergo id vnum hoc capite definiri, Diuinas illuminationes & inſpirationes vitales actus eſſe; atque adeo proſcribi Prædeterminantium opinionem, de qua Princeps tuus ita pronuntiat: Libro 8. de gratia Christi cap. 2. *Prædeterminatio Phyſica non eſt actus vitalis animi, ſed aliquid, cui voluntas tantùm paſſiuè ſubjacet. Eſt enim motio neſcio quæ virtuoſa, quæ habet eſſe quoddam incompletum, & ſit in voluntate per modum, quo colores ſunt in aëre, & impetus in re quæ impellitur.* Quam opinionem illis Tridentini verbis damnari nemo ante te ſuſpicatus eſt. Neque tu illud tam temerè eſſes ſuſpicatus, ſi quæ eodem loci antecedunt & ſequuntur inſpexiſſes. Nam ex ijs liquidò apparet aliam eſſe Concilij mentem. *Qui per peccata*, inquit, *à Deo auerſi erant per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponuntur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem; neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe*

qui illam & abijcere poteſt.

Vides poſteriora hæc verba eò adhiberi, vt explicent, quomodo peccatores *gratiæ liberè aſſentiantur.* Nam id apertè innuit illud, *ita vt,* quod poſteriorem ſententiam ex priori ſuſpenſam docet. Quàm inepta verò atque ridicula eſſet illa explicatio, ſi opinio tua valeret, inde cognoſce, quòd hic eſſet eius ſenſus: Homo gratiæ liberè aſſentitur & cooperatur, ita vt illuminatio & inſpiratio ſint actus vitales. Quid abſurdius dici aut cogitari poteſt? Eodem ſpectant quæ probationis loco Concilium iis attexit: *Vnde in ſacris*, inquit, *litteris cùm dicitur: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: libertatis noſtræ admonemur.* Sic probat quod proximè ante dixerat, *Hominem inſpirationem recipientem illam abijcere poſſe*, adeóque in tua opinione hæc illius argumentationis eſt ſententia: inſpiratio eſt actus vitalis; quia cum dicitur: conuertimini ad me; libertatis noſtræ admonemur. Nec te pudet tam ineptæ fædæque deprauationis?

Vnde verò tam frigidæ interpretationis occaſionem arripuiſti? Nempe, ex his vocibus, *inſpirationem illam recipiens*, quibus phyſicam inſpirationis *receptionem* deſignari arbitratus es, cùm nemo Theologiâ leuiter tinctus ignoret iis exprimi moralem, quæ eſt ipſe conſenſus voluntatis liberæ: Secundùm illud S. Auguſtini libro de Spiritu & littera cap. 33. *Accipere & habere anima non poteſt dona, niſi conſentiendo;* Atque hoc ſenſu explicanda eſſe Tridentini verba illud inuictè perſuadet, quòd ea Concilium proferat, vt probet, hominem gratiæ *liberè aſſentiri.* Quod ſatis acutè Antiſtes tuus obſeruauit in hæc verba: *Inſpirationem recipere, & aſſentiri Deo vocanti idem ſunt. Neque enim ibi Concilium agit de qualibet gratiæ receptione, ſed de morali, quæ exercetur, non tam ſentiendo inſpirationem, quam conſentiendo.* Tu contrarium vnus aſſeris, & clariſſimum locum, quia tibi incommodat, ineptâ explicatione deprauas.

Auctarij loco Vincentius addit, eo Tridentini capite

definiri, ſatis non eſſe ad bene agendum, vt intellectus gratiâ illuminetur, ſed inſuper requiri, vt voluntas ipſa internâ ſuauitate perfundatur. *Verum*, inquit, *quia illuminatio, & inſpiratio illa videri poterat ad ſolum intellectum pertinere, & ne ipſa putaretur, ſine gratia voluntatis ad liberum conſenſum ſufficere, addit Synodus: Neque tamen ſine gratia Dei* (voluntatem proximè adiuuante, inſerit Vincentius) *mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poteſt.* Et paulo poſt: *Definit igitur S. Synodus opus eſſe gratiâ eleuante immediatè infirmam voluntatem, &c.*

Fateor ego pluribúſque demonſtraui, eiuſmodi gratiam voluntati inhærentem, ad bene agendum hoc in ſtatu requiri. At nego Vincentiũ iſtud rectè colligere ex hac Tridentini ſententiâ: *Neque tamen ſine gratia Dei, &c.* Errat enim cùm hæc verba eo conſilio adhiberi putat, vt definiatur aliam quandã ad bene agẽdum gratiã requiri, quàm quæ ante illuminationis & inſpirationis nomine fuerat appellata. Quæ eius hallucinatio ex ipſo capitis cõtextu clariſſimè patet. Statuerat Cõcilium, Homines *per excitantem & adiuuantem gratiam ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponi.* Quam ſententiam, vt eâ Caluini pariter ac Pelagij errores proſcribi oſtendat, ſic euoluit: *Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt.* En iugulatum Caluinum. *Neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo liberâ ſuâ voluntate poſſit.* En confoſſum Pelagium. Addit Scripturæ teſtimonia quibus lata in vtrumque ſententia confirmetur: *Vnde in ſacris litteris cùm dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: libertatis noſtræ admonemur. Cùm autem reſpondemus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: Dei nos gratiâ præueniri confitemur.* Quis hinc non videt non aliam his verbis gratiam exprimi, *Neque tamen ſine gratia Dei, &c.*

quàm quæ ante *illuminatio*, & *inſpiratio*, nuncupatur?

SECTIO IV.

Multiplex Vincentij calumnia retunditur, probatúrque eum repugnare Tridentino decernenti, ineſſe aliquid meriti bonis noſtris operibus: nec Dei mandata eſſe impoſſibilia.

QVANTÆ eſt ad legendum illecebræ Vincentiana illa inſcriptio: *Petauius & Ricardus aduersùs S. Synodum Tridentinam docent merita hominis lapſi non eſſe ſpecialia dona Dei?* Quis non putet eò loci clariſſima Petauij atque Ricardi verba proferenda, quibus tam proteruè Concilij Tridentini decretis aduerſentur? Adeo tamen iſtud Vincentius non facit, vt ne locos quidem appellet, ex quibus ſic eos ſentire ſuſpicari quis poſſet. Nouerat ſcilicet vix vllam ex vtriuſque opere paginam deſignari poſſe, quæ hanc eius calumniam non refelleret. Certè eo loci, quo illa quæſtio vberiùs à me tractatur, diſertè doceo hominis lapſi merita ita eſſe ſpecialia Dei dona, vt peculiari quodam modo appellentur, *Gratuita, diuina, dona gratiæ.*

Vincentius libro 2. cap 7. ſect. 3.

Diſput. noſtræ Libro 2. cap. 4. ſect. 3. §. 4.

At negamus eo ſenſu eſſe ſpecialia Dei dona, quo Vincentius affirmat. Negamus enimuerò; quia Caluini ſenſus ille eſt, vt mox oſtendam. Videtur tamen, inquies, eo ſenſu Tridentinum loqui. Nam, vt ait Vincentius, *Patres Tridentini aſſerentes merita hominis eſſe dona Dei, ſequuntur S. Cæleſtini Doctrinam; S. Cæleſtinus ſequitur S. Auguſtinum; S. Auguſtinus hanc ſuam Doctrinam in famoſo illo diſcrimine adiutorij hominis ægri & ſani, vnicè & certiſſimè fundat*, &c. Hîc reſiſte Vincenti. Cætera tibi aſſentior. At quæ de illo vtriuſque gratiæ diſcrimine ex Præceptoris tui opinione diſſeris, aio cum Catholicis ſuperiùs citatis, *non eſſe ſententiam Auguſtini, ſed coacer-*

uationem multorum mendaciorum à Caluino compoſitam. Nam ſic explicatum illud diſcrimen Caluiniſtæ omnes amplectuntur, omnes Catholici repudiant.

Et ſanè quis Catholicus tibi concedat, adiutorium gratiæ Angelis oblatum in ijs *non operatum fuiſſe vt vellent*, nec *in ijs gratiam, ſed liberum arbitrium viciſſe?* Quid? Nonne S. Auguſtinus libro 13. conf. cap. 3. de Angelis ita loquitur: *Quòd Beatè viuunt, non debent niſi gratiæ tuæ?* Et libro 12. de ciuitate cap. 9. *Profectò boni Angeli & bonam voluntatem, quâ meliores eſſent, niſi operante adiutorio Creatoris habere non poſſent.* Nónne Fulgentius fideliſſimus Auguſtini interpres libro 2. ad Traſimundum ait: *Non alia* (virtus) *ſtantem Angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi illa quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Vna eſt in vtroque gratia operata, in hoc vt ſurgeret: in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur: in iſto vt ſanaretur: ab hoc infirmitatem repulit: illum infirmari non ſinit.* Vincẽtius tamen qui ſe Auguſtini & Fulgentij diſcipulum profitetur intrepidè ſcribit, *in Angelis non gratiam, ſed liberum arbitrium viciſſe.* Hanc eius opinionem, quæ Pelagianiſmum Angelis affingit, pluribus confutaui Diſputationis libro 2. cap. 4. Quibus addo, eandem incidere in damnatas Baij propoſitiones illas: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.* Et: *Bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo permanſiſſet vſque ad vltimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.*

Vincentius lib. 2. cap. 7. ſect. 4.

Magna etiam minatur ille alter Vincentij titulus: *Petauius & Ricardus aduerſus S. Synodum Tridentinam Caluini partes adiuuant.* Quis iſtud audire magnopere non aueat? Præſta igitur, Vincenti quod magnificus ille titulus pollicetur. *Synodus Tridentina,* inquit, *Seſſione 6. canone 32. ait: Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera, ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita, Anathema ſit.* Quis noſtrûm iſtud non amplectitur? *Petauius verò & Ricardus negant, opera bona eſſe re verâ meritoria*

meritoria & præmio digna, ſi ſint ſpecialia Dei dona, quæ per adiutorium gratiæ medicinalis Deus in nobis operetur. Quod etiam aduerſus Tridentinos Patres aſſerit Caluinus; cuius proinde partes inſigni imprudentia, & incogitantia adiuuant.

Fatebor ingenuè mi Vincenti, eſt hîc nobis cum Caluino conſenſus aliquis. Sed quæſo ne ad hanc confeſſionem meam præcipiti exultatione triumphes; necdum enim intelligis quorſum iſtud euadet. Caluinus aſſerit, bona opera noſtra non eſſe *meritoria*, ſi à medicinali gratia eo modo fiant, quo ipſe fieri contendit. Idem prorſus aſſero: atque inde colligo, neceſſitatem illam quam medicinali gratiæ Caluinus affingit, ab ea procul eſſe remouendam. An iſtud eſt Caluini partes inſigni imprudentiâ adiuuare? Nunquid tu ipſe fateris, Caluinianam illam neceſſitatem liberum arbitrium, ſine quo nullum eſt meritum, extinguere? Quid mihi ergo obſtrepis affirmanti, Doctorem tuum nobis meritum omne adimere cùm ipſe Caluini de gratia medicinali opinionem acerrimè defendat, atque adeo pugnet, Caluinum ritè conciliaſſe gratiam medicinalem cum libero arbitrio dum affirmauit, *hominem vi gratiæ non ita trahi, vt ſine motu voluntatis quaſi extraneo impulſu feratur?* Libro 8. de gratia Chriſti cap. 21.

Quamuis autem hîc à Præceptore tuo deficias, eâdem tamen difficultate conſtringeris. Nemo eſt enim Catholicus qui non aſſerat medicinalem gratiam meritum omne nobis eripere, ſi eam neceſſitatem imponat, quam Beatis affert clara Dei viſio. Quod vt intelligas immeritò à te negari, peto quid cenſeas de vulgari illo axiomate, quod ex ſanctis Patribus hauſtum eſt, & communi Theologorum vſu recipitur: *Eadem ad meritum ac demeritum libertas requiritur.* Annuis verum eſſe. Quæro amplius, an ille peccaret, & pœnâ, ac vituperatione dignus eſſet, qui in ſtatu naturæ integræ eam malè agendi neceſſitatem pateretur, quam ex Adamo in nos profluxiſſe arbitratis. Negas peccaturum, aut vitupera-

Libro 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 24. & 25.

tione dignum fore, quia, vt Præceptor tuus docet, ad illa requiritur, vt qui neceſſariò peccat, ſaltem in ortu acceperit non peccandi libertatem, eámque culpâ ſuâ amiſerit. Rurſus quæro, an ille meriti aliquid haberet, qui in eodem innocentis naturæ ſtatu, eâdem neceſſitate bene ageret, quâ nos, afflante medicinali gratia, agere putas. Si conſtare tibi vis, negare debes eum meriti aliquid habiturum, quemadmodum negas alium pœnâ dignum fore. Vnde manifeſtè colligitur, neque hoc in ſtatu nos aliquid habere meriti, ſi eam neceſſitatem medicinalis gratia volũtati noſtræ inferat. Neque enim vt ex Adami peccato libertatẽ aliquam ad vtrumlibet, in peccata à nobis neceſſariò perpetrata deriuas; ita ex ipſius Adami, aut alterius bonis operibus, eandem libertatem in bona opera medicinalis gratiæ vi neceſſariò expreſſa potes repetere. Fateri igitur debes neceſſitatem illam, quam ex medicinali gratia fluere contendis, operibus noſtris meritum omne adimere.

Libro 1. cap. 7. ſect. 5.

Supereſt altera Vincentij cauillatio, quâ eludere nititur quod ex Tridentino obieceram, *Deum impoſſibilia non præcipere*. Ait hæc verba eam tantùm Caluini opinionem petere, quâ aſſerit hominem iuſtum in omnibus operibus peccare, adeóque diuina mandata nunquam implere. Sed hæc à me iam fuerat exploſa reſponſio. Monueram enim ita quidem conceptum fuiſſe canonem 18. vt eam tantùm Caluini opinionem percellere videretur; at in ipſo cap. 11. vnde ille canon expreſſus eſt, ita loqui Tridentinos Patres, vt non obſcurè ſignificent, proſcribi quoque alteram Caluini ſententiam, quâ aſſerit peccantibus deeſſe gratiam omnem quæ ad Diuina mandata implenda vel proximè, vel remotè ſufficiat: *Deus*, inquit, *impoſſibilia non iubet; ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.* Quæ poſteriora verba aliud profectò nihil ſignificant, quàm quod Andreas Vega, qui Concilio interfuit, ſic exprimit Quæſtione 9. de Ne-

ceſſitate gratiæ: *Semper Deus eſt paratus adiuuare omnes ad ſeruandum ſuam legem, neque deficit in re adeo neceſſaria. Sed ne ſuperbiremus, ſed potius ab eo toti penderemus, noluit eas præſtare vires, vt ſine ſua gratia & fauore ſpeciali poſſemus ſeruare omnia mandata. Vt verè autem poſſe, dicamus, ſatis eſt nos cum ſua gratia poſſe, & eum eſſe paratum eam præſtare.* En quid velint Tridentini Patres poſteriori illa ſententia, *Et petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis*, quâ opinionem ſuam manifeſtè configi ſenſerunt cùm Vincentius ipſe, qui de ea nihil mihi reſpondit, tum eius Præceptor, qui hunc Tridentini locum recitans, vel hæc omiſit verba, *& adiuuat vt poſſit*, vel ea temerariâ hac gloſſâ corrupit, *Id eſt, ſi exaudiat.*

Non poſſum quin hîc Vincentium laudem quòd locum alterum ex eodem cap. 11. ſeſſ. 6. quem ſæpius obieceram, præterire maluit intactum, quàm iocularem Doctoris ſui reſponſionem obtritam à nobis atque profligatam inſtaurare. Sic habet locus ille: *Deus ſuâ gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* Cui ſimillimus eſt iſte ex cap. 13. *Nemo vt perſeueranter ſtet ſibi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet;* Diſputationis libro 1. cap. 3. ſect. 1. §. 2. & libro 2 cap. 4. ſect. 1. §. 1.

SECTIO V.

Defenditur Concilij Senonenſis auctoritas, & ab eo Vincentij opinionem proſcriptam eſſe demonſtratur.

FVit illud Galliæ noſtræ perhonorificum, & ad fidei pietatiſque commendationem illuſtre, quòd natis ſuperiori Sæculo Hæreſibus prima bellum indixerit. Vix emerſerat Lutherus, & peſtilenti dogmate Germaniam

infecerat, cum in eum Pariſijs Concilium Senonenſe collectum eſt. Vix Baij errores diſſeminari per Belgium, & graſſari latiùs cœperant, cum in eos Sorbonici Cenſuram diſtrinxerunt. Quis Galliæ amans geminam hanc laudem illi non gratuletur? Quis hoſtis non inuideat? Vincentius certè quò ſe illius diſcipulum probaret, quem atroces in Galliam calumniæ nobilitarunt, vtramque nobis abiudicat. Nam Sorbonicam Cenſuram cauillatur ac ridet, & Senonenſe Concilium erroris ſuſpicione aſpergit. De Sorbonica Cenſura ſatis ſupérque dictum, de Concilio Senonenſi nunc agendum, duóque docenda. Primùm quantæ ſit auctoritatis. Deinde, quàm ineptè Vincentius celebre eius decretum arrodat.

Tria ſunt quæ huic Synodo magnam auctoritatem conciliant. Primum, quòd Pariſijs habita ſit, illíque præter Epiſcopos interfuerint celeberrimi quique Pariſienſis Academiæ Doctores ac Theologi. Ita teſtatur Iodocus Clicthouæus præſtantiſſimus illius ætatis Theologus, & acerrimus Lutheri hoſtis, in Libro quem inſcripſit, *Compendium veritatum ad fidem pertinentium contra erroneas Lutheranorum aſſertiones, ex actis in Concilio Prouinciali Senonenſi apud Pariſios celebrato.* In huius porrò operis Epiſtola nuncupatoria ad Franciſcum primum ſic loquitur: *In quo Concilio inter cætera multa, ad ſalubrem morum caſtigationem ſpectantia, etiam pertractatæ ſunt frequenti agitatione, & diligenti trutina examinatæ materiæ complures, admodum arduæ & magni ponderis, in quibus hac noſtra tempeſtate à Catholicis diſſident Lutherani. Et quoniam hiſce diſcuſſionibus cùm agerentur interfui, vna cùm aliis Theologicæ profeſſionis viris inſignibus, ad idem Concilium vocatus, &c.* Vnde paulò pòſt eandem Synodum vocat, *Doctiſſimorum virorum cœtum.* Quid ni ergo cum Suare dicam Prolegomeno 6. de Gratia cap. 5. *Ex hac parte Concilium illud magna pollere humana auctoritate.*

Secundum eſt quod ibidem Suares obſeruat in hæc verba: *Ex illius Concilij Actis, verbis, ac progreſſu conſtat*

legitima auctoritate, & grauiſsima, & honeſtiſsima cauſa fuiſſe congregatum, & magna prudentia & pietate, & debita ſubiectione ad Romanam Eccleſiam, & antiqua Concilia ac decreta proceſsiſſe; ergo credendum eſt non defuiſſe illi ſingulare Spiritus ſancti auxilium, vt præſertim in Doctrina fidei à veritate non aberraret. Quis huic argumentationi non ſubſcribat?

Tertium Suares idem ita explicat: *Denique cum illud Concilium ante nonaginta annos fuerit celebratum, & per vniuerſam Eccleſiam diuulgatum, in magna auctoritate, & ſine vlla ſuſpicione erroris ſemper fuit.* Plurimum illi ex hoc capite auctoritatis accedit. Nam, vt Canus annotat Libro 5. de Locis cap. 4. concluſ. 6. *Prouincialia Concilia niſi ſint peculiariter reprobata, communi Eccleſiæ vel ſilentio, vel etiam implicito conſenſu commendantur, ſi ad Eccleſiæ communem notitiam peruenerint. Non enim fit aliquo pacto veriſimile, vt Concilij Prouincialis toto orbe vulgati hæreſim Eccleſia diu diſsimulauerit.* Quantæ eſt igitur temeritatis Senonenſe Concilium erroris modò inſimulare, quod ex his omnibus non mediocrem auctoritatem accepit.

Ferre tamen Vincentius non poteſt, quod Concilium illud decernit: *Neceſsitatem gratiæ libero non præiudicare arbitrio: cùm ſemper illa ſit in promptu.* Poſteriora hæc verba expungenda putat, ſi de interiori gratia ſit Sermo: ſin minus poſſe illa vtcunque tolerari. Ego verò contendo de interiori gratia ſermonem eſſe, nec idcirco tamen cenſuram mereri. Primum quidem ex ſuperioribus Concilij verbis, cum quibus cohærent iſta atque nectuntur, elatius eſt quàm vt negari poſſit. *Neque*, inquit, *liberum arbitrium aſſerentes Diuinam excludimus propterea gratiam: quod illi falsò toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perſtringere. Sed iuxta ſacram Scripturam eo extendimus, vt voluntas humana miſericordiæ præuenientis auxilio ſuffulta, & interiori quodam & occulto ſecretioris inſpirationis afflata contactu, ſe ſe conuertat.*

in Deum. Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præiudicat arbitrio: cùm illa ſemper ſit in promptu. Nec ipſe Vincentius negare auſit hîc ſermonem eſſe de *interiori* gratia, & *Secreta* inſpiratione.

Placet tamen adhuc audire Concilij interpretem Iodocum Clichoueum, qui teſtatur in Epiſtola ad Franciſcum primum, ſe rationes omnes, quibus in eo Concilio Catholica veritas probata eſt, collegiſſe, *vti ex auditis in eo Doctiſſimorum virorum cœtu memoriæ eas commendare mentique tenacius infigere potuit.* Superius verò decretum ſic exponit: *Deus interiore impulſu & inſpiratione nos aſſiduè admonet, vt vltro ſe nobis offerentem ipſum ſuſcipiamus intra cordis noſtri domicilium, & munera nobis gratuita ſua bonitate oblata non refutemus. Ecce, inquit, Sto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo. Noſtra igitur id attribuendum eſt culpæ, quòd pulſanti ad oſtium cordis noſtri Deo, ianuam non aperiamus. Interior autem eiuſmodi Dei pulſatio, nec bonis nec malis deeſt dum hîc viuunt.* Non eſt igitur quòd de huius Concilij mente dubitemus, quæ cùm ex eius verbis, tum ex fideliſſimi interpretis explicatione clariſſimè intelligitur.

Decretum illud ſic explicatum in erroris ſuſpicionem Vincentius adducit, Caluini exemplo, qui paulo poſt celebratum illud Concilium ſcripſit Inſtitutionis libro 2. capite 2. num. 6. *Phreneticos nihil moror, qui gratiam pariter & promiſcuè expoſitam eſſe garriunt.* Sed hanc non eſſe Phreneticorum opinionem Caluinum docuerunt, qui cum illo congreſſi ſunt Catholici, atque in primis Franciſcus Horantius Libro 1. cap. 52. quod ita inſcribit: *Secundum quod Caluinus in Doctrina illa minus probat, eſt, quod Diuina gratia omnibus ſit expoſita, quæ res ex Auguſtino apertè vera eſſe conuincitur.* Et Paulus de Windeck cuius hæc verba Libro de efficacia mortis Chriſti pag. 178. *Etſi hanc doctrinam de gratia ſufficienti Pelagianiſmi inſimulent, & exſibilent Caco-Euangelici, tamen eam fir-*

miſſimis ſcripturæ niti teſtimoniis demonſtraui.

Non eſt huius inſtituti celebrem illam, de gratia ſufficienti adultis omnibus conceſſa, quæſtionem accuratiùs tractare: Ea ſunt tantùm diſſoluenda paucis, quæ huic Senonenſi decreto Vincentius opponit. Ait pugnare cum experientia & communi Scholaſticorum ſenſu, quod illa Synodus docet, gratiam ſemper cordis oſtium pulſare. Nam experimur omnes, & id vulgò Theologi ſtatuunt, non omnibus momentis mentem noſtram diuinitus illuminari, aut voluntatem ſuccēdi. Hinc Senonenſe illud decretum falſitatis conuinci iactat. Sed iſtud eſt nimis pueriliter vocibus inſidiari. Nunquid fateris, Vincenti, gratiam ſufficientem Adamo ſtanti ſemper adfuiſſe, cùmque ſi in illo ſtatu diutius perſeueraſſet, *ne momento quidem vno*, ita loquitur Doctor tuus, illâ cariturum? Nec arbitraris tamen omnibus illum momentis ſeu vigilaret, ſeu dormiret, ſeu quippiam aliud ageret, cæleſti illâ luce, atque ſuauitate donandum. Quia nimirum, vt gratia illi ſemper adfuiſſe dicatur, ſatis eſſe arbitraris, vt quotieſcunque Diuini mandati obſeruandi, vel peccati committendi occaſio ſe ſe obtulit, toties illi cæleſtis gratia ſubſidio venerit. Sic prorſus, *vt illa Dei adiutorio*, (Præceptoris tui verba ſunt) *ne momento quidem vno, quo voluntatis nutus tentationi tribuendus erat, vel negandus* caruerit. Quin tu ergo Senonenſis decreti verba eodem ſenſu interpretaris, cum Didaco Ruiz Diſp. 47. de Prædeſtinatione ſect. 1. & 2. aliiſque Theologis, qui plurima SS. Patrum atque Conciliorum teſtimonia, iiſdem ferè concepta verbis, ſic ex vulgari loquendi vſu eſſe explicanda pluribus demonſtrant? Noueras ſanè hunc Senonenſis decreti ſenſum eſſe, ſed vt omnem illi fidem facilius abrogares, alium quemdam à communi Theologorum ſententia alieniſſimum affinxiſti.

Libro de gratia Primi hominis cap. 21.

Reſtant excutienda paucis, quæ aduersùs Enchiridion Colonienſis Concilij præſcribis. Primùm ipſius Conci-

lij auctoritatem obliquè extenuas, quòd illi præfuerit Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis, qui poſtea in hæreſim lapſus eſt. Nam quid aliud innuunt hæc tua verba? *Nempe Hermannus ille eſt, quem poſtea propter hæreſim, & ab obedientia Romanæ ſedis Apoſtaſiam, Paulus III. Pontifex, & Carolus V. Cæſar Archiepiſcopatu deiecerunt.* Verùm, ſi quid inde ex Colonienſis Concilij auctoritate decedit: plurimùm quoque magno illi Concilio Nicæno derogabitur, quod illi Cordubenſis Oſius præfuerit, cuius poſtea lapſus tam funeſtus extitit, vt Origenis & Tertulliani caſum ſuperarit.

Baronius ad annum Christi. 357.

Deinde obijcis *me quorũdam errorem ſecutum pro Colonienſi Concilio cepiſſe Enchiridion quoddam fidei in Epiſcopatu Colonienſi editum.* Calumniaris. Diſertè enim monui, agere me non de ipſo Colonienſi Concilio, ſed de *Enchiridio eius auctoritate concinnato*, ab ipſo nempe Cardinali Gropero, qui illius Concilij præcipuus auctor, ac velut anima fuit, quíque Enchiridion iſtud Hermanni Archiepiſcopi nomine edidit hoc exordio: *Enchiridion doctrinæ Chriſtianæ quod vobis in Concilio noſtro prouinciali nuper polliciti ſumus, &c.* Quapropter in iis omnibus, quæ in Indice Expurgatorio non deſignantur, cuiuſmodi ſunt ea quæ citaui, eâ ſaltem auctoritate pollere debet, quam illi Cardinalis Groperi nomen conciliat.

Poſtremò Enchiridion illud penitus explodis, mihíque indignabundus exprobras, quòd *putridis iſtis pomis vos aggrediar.* Itáne verò *putridis* tibi *pomis* pugnare videtur, qui Cardinalis Groperi auctoritatem adhibet? ô imbellem igitur tuo iudicio diſputatorem Antonium Arnaldum Symmyſtam tuum! qui in Libro de Frequenti communione cap. 45. nullum ex ſuperioris æui Doctoribus impenſiùs laudat, nulli plus tribuit. Nam antequam inſignem, vt vocat, eius locum recitet, ita præfatur: *Gropperus Cardinalis, quem Eccleſiæ Colonienſis decus, & ornamentum ſcriptores vocant, quémque ſola virtus ad eminentiſſimum Eccleſiæ Romanæ honorem euexit, in Inſtitutione*

ſtitutione Catholica,&c. Tum ad marginem eius Epitaphium adſcribit in hæc verba: *Ioanni Gropperio Religionis fideique Catholicæ propugnatori acerrimo, poſt incredibiles ſummis cum periculis pro Eccleſiæ ac Religionis conſeruatione magno ſemper ac inuicto animo exantlatos labores, multáque præclara litterarum monimenta edita, ob perpetuam fidei pietatíſque conſtantiam, incomparabilem doctrinam, ſummáſque virtutes, abſenti nec quicquam minus cogitanti in S. R. E. Cardinalium collegium cooptato,&c.*

Quid mihi ergo ſuccenſes, quod præcipuum Cardinalis Gropperi opus vobis obiecerim, cuius nomini plurimum vos tribuere ex hoc eius inſigni elogio cognoueram?

SECTIO VI.

Vincentij in poſteriores Romanos Pontifices contumelioſiſſima vox caſtigatur, eiúſque opinionem ab ijs damnari oſtenditur.

QVàm atroces Deus immortalis! quàm in ſummum Pontificem contumelioſos noua opinio libellos edidit? Horret animus cùm recordatur famoſi illius ſcripti, priúſque bonorum omnium votis, quàm Regia auctoritate flammis addicti, quo Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentij X. nuperam de duplici Eccleſiæ capite fabulam damnantis, decretum ridetur, ſugillatur, exploditur. Aliud verò quod paucis ante annis ex eadem officina prodiit, Vah! quàm procaciter Vrbani VIII. Bullam expendit ad ludibrium; quàm fœdè diſcerpit, & lacerat!

Vtriuſque porro libelli cùm multæ ſunt querelæ & inanes & ridiculæ, tum hæc profectò inſulſa eſt inprimis quâ hæc Romanorum Pontificum decreta obſcuritatis criminãtur. Eam tamen auidè Vincentius arripit, quód-

que alij non fecerant, paucis docet vnde hæc Summorum Pontificum decretis obſcuritas adhæſerit: nimirum, ex Philoſophia, quæ aliquot ante ſæculis in Christianas Scholas irrepſit. Hæc ſunt eius verba: *Pius V. & Gregorius XIII. ſua decreta obſcuriùs, quia eloquentiâ Philoſophorum, aliquot iam ſæculis in Scholas Theologicas introductâ, edunt,* quàm *Auguſtiniani æui Pontifices Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, Cæleſtinus, Sixtus, Leo, Felix, Gelaſius, Hormiſdas, Ioannes, &c.*

Vincentius libro 2. cap. 7.

Tu hæc ſcribere audeas Vincenti? Tu poſteriorum Pontificum decreta ſic eleuare? Tu Supremo Controuerſiarum Iudici obſcuritatem ex Philoſophia ortam obijcere? Dic obſecro, cur introductam ab aliquot iam ſæculis in Scholas Theologicas Philoſophiam Romanorum Pontificum oraculis obſcuritatem aſperſiſſe putas? An hæc Doctoris tui verba ex Libro Prooemiali cap. 6. *Quibus definiendis non rarò magis Ariſtotelis commentatio, quàm Spiritus S. reuelatio præſidet:* ad Apoſtolicæ ſedis decreta accommodas? An quod de Sorbonicis Caluinus garriebat, *eos Ariſtotelem conſulere loco Spiritus ſancti,* de Romanis Pontificibus pronuntias, & cum Melanchone arbitraris, *omnes poſtremis Eccleſiæ temporibus Ariſtotelem pro Chriſto amplexos fuiſſe?* Si iſtud Melanchoni aſſentiris, non miror te ad Romanorum Pontificum decreta transferre, quod ille in Apologia pro Luthero, vniuersè de Eccleſiæ Doctrina ſcripſit *eam admiſsâ Scholaſticâ Theologiâ obſcuratam eſſe.* At ſi cum Catholicis omnibus arbitraris ſummos Pontifices ex Spiritus ſancti afflatu oracula ſua reddere, Chriſtúmque eorum decretis moderari, eámque impertiri lucem, quæ ad emergentes in Eccleſia controuerſias planè dirimendas eſt neceſſaria, non video quî contractam ex Philoſophia obſcuritatem illis obijcere poſſis.

Sed hæc tua querela aliò ſpectat, quàm tu forſan arbitraris: nimirum vt Poſteriorum Pontificum decretis fides, atque adeo ipſi hodiernæ Eccleſiæ ſupremum fidei

controuerſias diſceptandi ius abrogetur. Quemadmodum enim aduersùs Hæreticos docemus, ſcripturam non eſſe controuerſiarum iudicem, quia obſcura eſt, & interprete indiget, qui verum eius ſenſum exponat, nunquid illi nobis obijcient, neque etiam poſterioribus Romanis Pontificibus ius illud fidei controuerſias diiudicandi eſſe tribuendum: ſiquidem, vt doces, obſcuriora ſunt eorum decreta, ac proinde aliquis alius quærendus iudex, qui illa interpretetur. Quis autem ille erit? An Concilium aliquod poſtremis hiſce temporibus in Eccleſia celebratum? Minimè ſanè. Nam ſi *eloquentia Philoſophorum ab aliquot iam ſæculis in Scholas Theologicas introducta* Romanorum Pontificum decretis obſcuritatem aſperſit; quid ni & Conciliorum canonibus, cum illis frequentes Theologi interfuerint? Certè qui de Romanis Pontificibus illud conceſſerit, facilè adducetur, vt de Concilijs idem pronuntiet, & cum Abbate San-cyrano Concilium Tridentinum eâ re minus probet, quòd ad illud plures Theologi vocati ſint; adeóque exorientium in Eccleſia Controuerſiarum iudicem ex ſuperioribus ſæculis accerſendum putet. En quo pertineat tua illa querela de poſterioribus Romanis Pontificibus ob introductam in Scholas Theologicas Philoſophiam ſua decreta obſcuriùs edentibus.

At negas obſcurioribus illis Pij V. & Gregorij XIII. Bullis Doctorem tuum percelli, grauitérque indignaris quod ſcripſerim multas Baij propoſitiones in ijs damnatas ab eo defendi. Quid facerem? mihi impoſuerat Vrbanus VIII. qui illud ipſum in ea Bulla, quâ ſuperiores illas confirmat, non obſcurè teſtatur. CVM AVTEM, inquit, EX DILIGENTI ET MATVRA EIVSDEM LIBRI, CVI TITVLVS AVGVSTINVS, LECTIONE POSTMODVM COMPERTVM FVERIT IN EODEM LIBRO MVLTAS EX PROPOSITIONIBVS à PRÆDECESSORIBVS NOSTRIS OLIM, VT PRÆFERTVR DAMNATAS, CONTINERI ET MAGNO CVM CATHOLICORVM SCANDALO, ET AVC-

Vincentius lib. 2. cap. 7. ſect. 6.

TORITATIS DICTÆ SEDIS CONTEMPTV CONTRA PRÆFATAS DAMNATIONES, ET PROHIBITIONES DEFENDI, &c. Satin hæc clara? Addit paulò poſt: LIBRVM PRÆDICTVM, CVI TITVLVS AVGVSTINVS, ARTICVLOS, OPINIONES, ET SENTENTIAS IN DICTIS CONSTITVTIONIBVS REPROBATAS ATQVE DAMNATAS, VT à NOBIS COMPERTVM EST, CONTINENTEM AC RENOVANTEM, &c. Hæc ſunt Vincenti, quæ me in fraudem induxerunt: arbitrabar neminem eſſe Catholicum, qui mihi ſuccenſeret illud ipſum affirmanti, quod Vrbanus VIII. *ſibi compertum eſſe* tam clarè & dilucidè teſtatur.

Videndum tamen quid cauſeris, vt Magiſtri tui opiniones illis Romanorum Pontificum decretis non afflari perſuadeas. Poſueram priori loco Baij propoſitionem illam: *Quod voluntariè fit etiamſi neceſſariò fiat liberè tamen fit*, eamque nihil à Præceptoris tui opinione diſcrepare probaueram. Contra tamen gemina Doctiſſimorum virorum auctoritate illum defendis. Primò Patrum Dominicanorum qui in celebri illa diſputatione de Auxiliis, reſponderunt eos tantùm cum Baio damnari, qui cum eodem *omnia quæ neceſſariò neceſſitate naturali fierent, dummodo voluntas cooperaretur liberè fieri dicebant*. Verum id quidem. Sed cur diſſimulas, eos *neceſſitatis naturalis* nomine illam ipſam intelligere, quam tu, Præceptorque tuus cum libertate componitis? Nempe neceſſitatem quâ voluntas actus aliquos naturali inclinatione profundit: cuiuſmodi eſt in nobis amor beatitudinis: Beatis amor Dei: in Deo Diuini amoris expiratio. Id ſi clariſſimis eorum verbis oſtendero tún' hiſcere contra audebis? Dominicus Bannes diſputationis illius præcipuus auctor diſertè docet 1. par. q. 41. art. 2. *Nullo modo concedendum eſſe quod Spiritus ſanctus procedat liberè*. Rationem ſubijcit, quia *neceſſitas naturalis*, quæ in eius productione reperitur, *tollit omnino libertatem*. Idem tradit Didacus Aluares nobilis in eadem diſputatione pugil. Nam Libro de Auxiliis diſp. 22. 32.

& 115. probat neceſſitatem quæ eſt in amore beatifico libertatem perimere. Petrus quoque de Cabrera acerrimus phyſicæ prædeterminationis defenſor in 3. part. quæſt. 18. art. 3. & Tractatus Thomiſticus quæſt. 2. art. 3. planè & dilucidè aſſerunt, damnari his Pij V. & Gregorij XIII. Bullis eos qui neceſſitatem illam, quâ Beatus Deum, aut Deus ſeipſum amat cum propriè dicta libertate componunt. Actum eſt igitur de tua, Doctoriſque tui opinione, ſi horum iudicio ſtandum eſt.

Verùm ad Suarem prouocas, & in eius auctoritate latebram quæris. Quam inſulsè verò, quámque imprudenter id facias pluribus ante demonſtratum eſt. Vnum hîc moneo, Suarem eo ipſo quod appellas Prolegomeno 1. de Grat. cap. 4. neceſſitatem illam, quâ liberi arbitrij hoſtes voluntatem noſtram deuinxerunt, cum ea contendere, quæ eſt *in amore Dei erga ſe ipſum, vel videntium ipſum:* & Diſputat. 1. de volunt. ſect. 2. docere Pium V. & Gregorium XIII. dum illam, de qua litigamus, Baij propoſitionem damnant, excludere à libertate propriè dicta *neceſſitatem ſimplicem, quæ tollit agendi & non agendi poteſtatem.* Quæ omnia opinionem tuam Pontificum decretis percelli manifeſtè demonſtrant. Altera Baij propoſitio quam à Doctore tuo renouari pugnabam, ita concipitur: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Reſpondes: *Meritò illam à Pio V. damnatam eſſe, in ſenſu quo Caluinus eam aſſerit. Violentiam enim ſtrictè & propriiſſimè accipit Caluinus, Falſum autem eſt quod ſola eiuſmodi violentia libertati repugnet.* Iam tibi gratulatus ſum, quòd hac ſententiâ Patriarcham tuum periculoſi erroris condemnes. Docet enim ille; quod hîc falſum eſſe profiteris, *eam tantùm coactionis neceſſitatem ab arbitrij libertate ſubmouendam,* quæ efficeret *vt voluntas nihil omnino ageret ſed velut inanime quoddam merè paſſiuè ſe haberet.* Quapropter Caluini ſententiam *libertatis rationem, à qua liberum arbitrium dicitur, in experte coactionis voluntate collocantem*, non modo non reijcit,

Libro 8. de gratia Chriſti cap. 21.

vt facis, ſed etiam ab Eccleſia non damnari probare nititur. Ex quibus iſtud habeo, Doctoris tui de libertatis natura ſententiam tuo ſuffragio eſſe Hæreticam: illius verò iudicio Caluini de eadem libertatis natura opinionem eſſe Catholicam. Ego certè tibi potius, quàm illi hac in parte credendum puto.

Pari cauillatione vteris vt Baianæ huius propoſitionis inuidiam & cenſuram effugias: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit.* Fingis enim hîc eos tantùm damnari, qui maiori quadam neceſſitate nos ad peccandum impelli dicerent, quàm quæ Beatos ad amandum Deum inducit. Quod cùm per ſe ſe ineptum eſt: quis enim audiuit vnquam, aut ſuſpicatus eſt, ita Baium deliraſſe? tum etiam ex Præceptore tuo eandem propoſitionem explicante refellitur. Ait enim eandem prorſus ab iis, quos hæc cenſura percellit, peccandi neceſſitatem induci, quam ipſe admittit, ſéque ab iis hoc vno diſcrepare, quod illi hanc neceſſitatem à natura inſitam, ipſe verò ex primi parentis peccato profectam aſſerat. Quam eius reſponſionem, aliáſque omnes ab eo vſurpatas, vt ſe à Baio ſeiungeret, ne proponere quidem auſus es, quòd fractæ eſſent à nobis pluribúſque rationibus profligatæ.

Libro 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 25.

Diſputationis lib. 2. cap. 3. ſect. 1. §. 4.

Licebit igitur mihi cum Vrbano VIII. pronuntiare, *Librum prædictum, cui titulus eſt Auguſtinus, articulos, opiniones, & ſententias in dictis Conſtitutionibus Pij V. & Gregorij XIII. reprobatas atque damnatas continere ac renouare.*

CAPVT VI.

Refelluntur nugaciſsimæ Vincentij reſponſiones, quibus contendit nouum dogma à recentioribus Theologis non damnari.

MIRVM id ſanè quòd recentiores Theologos ſuffragij iure Vincentius non depulerit, nec ad eorum teſtimonia recuſanda cum Doctore ſuo exceperit, *eos Auguſtini doctrinam totſæculis ante receptam probatámque, per ſuſceptionem contrariarum opinionum aboleuiſſe, & ex Scholis exturbaſſe.* Lib. Procem. cap. 30. Nam hæc erat multò commodior hinc euadendi ratio, quàm quæ ab eo inita eſt. Ait Theologos omnes quos in nouum dogma teſtes produxi, *inuitos* atque repugnantes eò adigi. Verùm eiuſmodi rationibus id probat, vt ludere potius, & pueriliter nugari, quàm ſeriò reſpondere videatur.

Quod antequam demonſtro, paucis agendum eſt de inſigni S. Thomæ loco, quem ſuâ illa veteri & inſulſa cauillatione Vincentius eludit.

SECTIO I.

Retunditur inſulſa Vincentij reſponſio ad eum S. Thomæ locum, quo diſertè nouum dogma Hæreticum eſſe pronuntiat.

O Inſignem Vincentij confidentiam! ſperat artibus & præſtigijs effecturum ſe, vt noua opinio his S. Thomæ verbis ex quæſt. 6. de malo damnari non credatur: *Quidam poſuerunt quòd voluntas hominis ex ne-* Libro 1. cap. 8. ſect. 7.

ceſsitate mouetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur. Hæc autem opinio eſt Hæretica. Tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſsitate agit, quòd vitare non poſsit. Sed quâ tandem arte veritatem adeo claram nititur obſcurare?

Ait hæc verba: *Quidam poſuerunt quòd voluntas hominis ex neceſsitate moueretur*, non eſſe accipienda de ſimplici illa neceſſitate, quam ipſe cum libero arbitrio componit? ſed de *ſimplici neceſsitate coactiua*, quâ liberum arbitrium deleri putat. Quâ de reſponſione, quaſi ſubtilis eſſet, ac ingenioſa, mirificè ſibi placet, atque blanditur. Inſulsè. Nam; vt omittam ex ea ſaltem conſequi, noui Doctoris opinionem, cui ſimplex illa neceſſitas liberum arbitrium perimens prorſus eſt ignota, à S. Thoma damnari, certum eſt agi eo loco de illa ipſa neceſſitate, quam Vincentius cum libertate conciliat. Patet illud cùm ex ipſo corpore articuli, tum ex omnibus ferè argumentorum ſolutionibus.

Quoties inculcas Vincenti, neceſſitatem quâ beatitudinem appetimus libertati non eſſe inimicam? De illa tamen ipſa S. Thomas hîc agit. Nam vt probet illos errare, qui *poſuerunt quod voluntas hominis ex neceſsitate moueretur*, ſic diſputat: *Si apprehendatur aliquid vt bonum conueniens ſecundùm omnia particularia, quæ conſiderari poſſunt, ex neceſsitate mouebit voluntatem. Et propter hoc homo ex neceſsitate appetit beatitudinem quæ ſecundùm Boetium eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*, &c. *Si autem ſit tale bonum, quod non inueniatur eſſe bonum ſecundùm omnia particularia, quæ conſiderari poſſunt* (cuiuſmodi eſſe ait reliqua omnia quæ hîc nobis offeruntur) *non ex neceſsitate mouebit*. Vnde colligit: *Sic ergo quantùm ad aliqua voluntas ex neceſsitate mouetur, non autem quantùm ad omnia*. Hæc ſi legiſſes Vincenti, nunquam opinor tam temere, tam inconſultè contendiſſes

hîc

hîc non agi de illa neceſſitate, quam cum libertate connectis, cuiuſmodi eſt ea quâ Beatitudinem neceſſariò appetimus.

Cùm ibidem obiectum eſſet in 7. Præt. *Videtur quòd voluntas de neceſſitate moueatur ab appetibili: non eſt ergo liberum homini velle, vel non velle:* continuò reſpondet: *Dicendum quòd voluntas habet neceſſitatem reſpectu finis vltimi, quia omnis homo ex neceſſitate vult eſſe Beatus; non autem reſpectu eorum quæ ſunt ad finem.* Inde tamen noua obiectio naſcitur ſic expreſſa: *Vbi eſt idem mo[illegible]um & idem mobile, eſt & idem modus mouẽdi: ſed cùm aliquis vult finem & ea quæ ſunt ad finem, idem eſt quod mouetur ſcilicet voluntas, & idem mouens: quia ea quæ ſunt ad finem non vult aliquis, niſi inquantum vult finem; Ergo eſt idem modus mouendi, vt ſcilicet ſicut aliquis ex neceſſitate vult finem vltimum: ita ex neceſſitate vult ea quæ ſunt ad finem.* Nec ipſe Vincentius negare poteſt id vnum hoc argumento contendi, nos eadem neceſſitate velle quæ ſunt ad finem, quâ finem ipſum volumus. Reſpondet S. Doctor ad 9. *Dicendum quòd quando ad finem non poſſet perueniri niſi vnâ viâ, tunc eadem ratio eſſet volendi finem, & ea quæ ſunt ad finem: ſed ita non eſt in propoſito. Nam multis vijs ad beatitudinem perueniri poteſt. Et ideo licèt homo ex neceſſitate velit beatitudinem, nihil tamen eorum, quæ ad beatitudinem ducunt ex neceſſitate vult.* Hinc patet eos quibuſcum S. Doctor hîc diſputat, cauſam viciſſe, ſi eadem neceſſitate *media*, quâ finem vltimum voluntas noſtra vellet; adeóque cum aiunt *voluntatem hominis ex neceſſitate moueri, non tamen cogi*, de illa ipſa neceſſitate ſermonem eſſe, quæ Vincentij iudicio cum libertate belliſſimè cohæret.

Clarius illud ipſum eluceſcit ex obiectione conſequenti: *Intellectus*, aiunt, *ex neceſſitate mouetur à ſuo obiecto; ergo eadem ratione & voluntas neceſſariò mouetur à ſuo obiecto.* Reſpondet S. Thomas: *Sicut voluntas mouetur ex neceſſitate ab obiecto, quod eſt omnifariam bonum;*

non autem ab obiecto, quod poteſt accipi ſecundùm aliquam rationem vt malum: ita etiam intellectus ex neceſsitate mouetur à vero neceſſario, quod non poteſt accipi, vt falſum: non autem à vero contingenti, quod poteſt accipi vt falſum. Igitur neceſſitas illa, quam hîc S. Doctor à liberis volitionibus arcere nititur, illa ipſa eſt quâ mouemur ab obiecto *quod eſt omnifariam bonum.*

Affirmat tamen Vincentius, quæ eſt hominis fides, de illa neceſſitate hîc non agi, neque illos *qui poſuerunt quòd voluntas hominis ex neceſsitate moueretur*, damnari quòd ſimplici illa neceſſitate nos alligari putent, quâ voluntas neceſſariò finem vltimum amat; ſed quòd duriorem quandam nobis imponant, & libertati magis infenſam, quàm quæ in amore Beatifico, & Spiritus ſancti productione cernitur. Quid abſurdius? quid à S. Doctoris mente magis alienum cogitari poteſt?

At quo tandem argumento ſuam hanc reſponſionem colorare nititur? Ineptiſſimo. *Tunc*, inquit, *S. Thomas aduersùs nouos illius temporis Manichæos ſcribebat, qui S. Petrum martyrem ex eadem S. Dominici familia martyrio etiam affecerunt.* Eſto. Quid hinc efficis? *Manichæi*, inquit, *liberi arbitrij euerſores erant per ſimplicem neceſsitatem coactiuam*, quæ maior eſt ea, quâ Beatus Deum, aut Deus ſe ipſum diligit: adeóque in his S. Thomæ verbis, quibus Manichæorum opinio explicatur: *Quidam poſuerunt quòd voluntas ex neceſsitate moueretur*; maior quædam neceſſitas exprimi debet, quàm quæ in Beati erga Deum, aut Dei erga ſe ipſum amore cernitur. Hæc Vincentianæ reſponſionis ſumma: quæ perito lectori riſum aut indignationem mouebit. Nam ſi conſtaret Manichæos id ſenſiſſe, quod illis Vincentius affingit, certum eſſet D. Thomam hoc loco aduersùs eos non agere, cùm ex recitatis eius teſtimoniis liquidò conſtet, id vnum ab eo contendi, ſimplicem illam neceſſitaetm, quâ *voluntas ex neceſsitate appetit beatitudinem* ab alijs volitionibus abeſſe quibus *ea quæ ſunt ad finem* amat.

Deinde falſitatem omnem ſuperat, quod de Manichæorum opinione Vincentius garrit. Certum eſt enim bonam animam ex Manichæorum ſententia, cùm malæ illecebris non vincitur, eadem neceſſitate bonum amare, quâ Deus ſe ipſum diligit, quia Dei fragmentum eſt: certum eſt quoque malam animam eadem neceſſitate malum velle; ſiquidem eſt principij illius particula, quod eadem neceſſitate malum amat, quâ Deus bonum. Hæc duo certiora ſunt, quam vt à Vincentio negari poſſint. Et verò non negantur. Quamobrem etſi concederem (quod plurimis & euidentibus S. Auguſtini teſtimoniis falſum eſſe conuici) Manichæos voluiſſe bonam animam, cùm malè agit, duriori illa neceſſitate conſtringi, quam Vincentius libertati opponit, cauſam tamen viciſſem. Ait enim S. Thomas opinionem illam, quam hîc Hæreticam eſſe pronuntiat, *tollere rationem meriti, & demeriti in humanis actibus; quia non videtur eſſe meritorium vel demeritorium quod aliquis ſic ex neceſſitate agit*, quare cum Manichæi, de quibus hîc ſermonem haberi Vincentius opinatur, eâ tantùm neceſſitate bonam animam, cùm alterius illecebras contemnit, bene agere exiſtiment, quâ Deus ipſe, cuius eſt particula, bonum amat, hinc certò conficitur, neceſſitatem illam, quam purè ſimplicem Vincentius appellat, *meriti rationem tollere*.

Obſtrepit adhuc Vincentius, pugnátque opinionem ſuam hoc S. Thomæ loco proſcribi non poſſe, quin eodem phyſicæ prædeterminationis aſſertores damnentur. Ridebit poſtremum illud effugium, qui recordabitur, quod ſuperiore ſectione perſtrinxi, *Prædeterminantes*, ſic vocant, tantùm abeſſe à Vincentij opinione, vt illam planè ac diſertè Hæreticam eſſe pronuntient. Aiunt enim Hæreticorum huius temporis hunc eſſe errorem, vt aſſerant libertatem ad meritum requiſitam ſimplici illa neceſſitate non violari, quâ beatitudinem appetimus, aut beati Deum amant. Quod diſertiſſimè omnium

facit Guillemus Eſtius in 2. diſt. 24. §. 1. & 2. vbi ad illam Hæreticorum opinionem debellandam hunc ipſum S. Thomæ locum adhibet: *Quare non immeritò*, inquit, *S. Thomas quæſt. 6. de Malo art. vnico affirmat hæreſim eſſe non ſolùm apud Theologos, ſed etiam apud Philoſophos dicere quòd ad liberam electionem non requiritur libertas à neceſſitate*; nimirum, *naturali*, vt ibidem Eſtius explicat, *quâ*, inquit, *mouetur voluntas in finem naturaliter.*

Iactabis etiamnum Vincenti, prædeterminationis aſſertores dogmati tuo patrocinari? Iactabis hoc S. Thomæ loco te doctorémque tuum non iugulari?

SECTIO II.

Galli Doctores Vincentij opinionem, vt Hæreticam, & Caluinianam reijciunt.

NOn is eſt Vincentius qui facilè animum deſpondeat, aut vlla difficultate frangatur. Quemcunque illi auctorem obieceris quamuis clarè diſtinctéque nouum dogma condemnantem, ſuum eſſe gloriabitur. Plures ego Doctores Gallos protuli, & ſigillatim eorum teſtimonia expoſui, quibus nouæ opinioni infamem Hæreſis notam inurunt. Clamat tamen Vincentius eos ſuarum eſſe partium, nihílque affirmare prorſus, quod ipſe libenter non amplectatur. Qua in re candoris ſui ſpecimen exhibet perilluſtre. Nam ea diſſimulat omnia, quibus Doctores illi nouum dogma configunt, ac in vna tantùm eorum voce, quam perperam interpretatur, delitescit. Hæc eius verba: *Andreas du-Vallius, Nicolaus Yſambertus, Ioannes Puteanus, Marius Scribonius Galli docent, liberum arbitrium non ſolum eſſe liberum à coactione illa rigida, in qua patiens nihil agit, ſed etiam à neceſſitate abſoluta, ait du-Vallius, quam fatum veteres Philoſophi appellarunt. Quod libentiſſimè fatemur, & millies in-*

culcauimus. Breui hac reſponſione clariſſima tot Theologorum teſtimonia eludi putat.

Non ſic abibit. Placet enim illam accuratius expendere, eiúſque labes ac flagitia indicare. Ais Doctores illos contra huiuſce temporis Hæreſes ſtatuere, *liberum arbitrium non ſolum eſſe liberum à coactione illa rigida, in qua patiens nihil agit*. Quâ confeſſione Hæreticam eſſe profiteris Antiſtitis tui opinionem, quâ ad liberum arbitrium ſatis eſſe docet, *vt voluntas non ſe habeat merè paſſiuè, nec velut inanime quiddam nihil omnino agat*. Atque adeo mihi victoriam adiudicas; ſiquidem priori illa diſputatione, in quam cæco incurris impetu, non de tua, quam nondum noueram, ſed de ſola Doctoris tui opinione diſceptaui.

Nouus Doctor lib. 8. de gratia Chriſti cap. 17. 21.

Cùm verò addis *libenter te fateri*, quod ijdem Theologi docent, *liberum arbitrium eſſe liberum à neceſſitate abſoluta*, inſidiosè id facis. Neceſſitatem enim abſolutam eam interpretaris, quam vocas *coactiuam*, & libertati opponis, cùm certum ſit Doctores illos hoc nomine eam ipſum deſignare, quam *neceſſitatem purè ſimplicem* appellas, & cum libero arbitrio coniungis. Ita expreſsè Yſambertus eo loco quem appellaui ex Diſputat. 2. de libertate Chriſti art. 2. nam cum dixiſſet, *omnes Hæreticos etiam noſtri temporis, qui damnati ſunt ab Eccleſia, eo quòd negarent liberum arbitrium, damnari hoc ſolo titulo quod inducant neceſſitatem*, continuò addit ſe hoc nomine intelligere *neceſſitatem in operando*, cuiuſmodi *eſt in Deo, quoad proceſſionem Spiritus ſancti*, docétque *Patres expreſsè tradere libertatem ad meritum requiſitam eiuſmodi neceſſitatem in operando excludere*. Potuítne clarius opinionem tuam proſcribere, quâ *neceſſitatem naturalis inclinationis*, cuiuſmodi eſt ea quæ in Spiritus ſancti productione reperitur, libertati ad meritum requiſitæ aduerſari negas?

Illud ipſum apertè conficitur ex recitatis aliorum teſtimoniis. Nam Du-Vallius Tractatu de Humanis actio-

nibus quæſt. 3. art. 2. neceſsitatis illius *abſolutæ* quâ liberum arbitrium à Caluino eripi docuerat, exemplum ponit *in fruitione beatifica, quæ eſt actus omnino neceſſarius.* Et Ioannes Puteanus in 1. 2. quæſt. 10. dubitat. 2. neceſſitatem illam, quam ab Hæreticis huius temporis cum libero arbitrio coniungi tradit, ait eſſe voluntariam, illique perſimilem, quâ *Pater & Filius neceſſariò producunt Spiritum ſanctum.* Ex quibus ita colligo: Docent Galli Doctores Hæreticam eſſe atque Caluinianam opinionem illam, quæ liberum arbitrium cum voluntaria illa neceſsitate coniungit, quâ Beati Deum amant, aut, Pater & Filius Spiritum ſanctum producunt: Atqui Vincentius idem prorſus defendit; Igitur eius ſententia Gallorum Theologorum iudicio Hæretica eſt atque Caluiniana. Ait tamen Vincentius ſe *libentiſſimè fateri*, quod Doctores illi pronuntiant.

Pari ſtupore afflatus videtur, cùm ad illud Pariſienſis Facultatis decretum reſpondet, quo anno Chriſti 1644. 15. Ianuarij nouum dogma à Scholis exulare iuſſum eſt. Nam vbi hæc eius verba deſcripſit: *Prohibuit Facultas tam Doctoribus, quàm Baccalaureis, ne probent, vel ſuſtineant prædictas propoſitiones, per Bullas Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. ſummorum Pontificum prohibitas,* ſubdit: *Quas propoſitiones nos etiam pro prohibitis habemus.* Rides Vincenti, & ſacram Facultatem, ſummóſque Pontifices ludis. Tu damnatas ab ijs opiniones cum Præceptore tuo inſtauras, acritérque defendis: & eas tamen *pro prohibitis habere te* iactas. Negabis forſan Baij propoſitiones à Pio V. & Gregorio XIII. proſcriptas à Doctore tuo renouari. At affirmat ſummus Pontifex Vrbanus VIII. diſertéque teſtatur, *Librum prædictum, cui titulus eſt Auguſtinus, articulos, opiniones & ſententias in dictis conſtitutionibus Pij V. & Gregorij XIII. reprobatas, atque damnatas continere, & renouare.* Vtri credendum potius, tibi, an ſummo Pontifici?

Futiliora ſunt quæ ſubijcis in hæc verba: *De cæteris*

autem ad Bullam nuperam Vrbani VIII. pertinentibus, cenſuit Facultas negotium illud eſſe differendum. Vade iam Ricarde, & totam Vrbani VIII. Bullam à Sorbona Pariſienſi receptam clama. O ſingularem calumniam! Egó-ne vnquam affirmaui totam Vrbani VIII. Bullam à Sorbona receptam eſſe? Lectorem obteſtor vt illum Diſputationis meæ locum conſulat, incredibilem Vincentij audaciam mirabitur. Id vnum pugnaui, recentes Sorbonicos adeo non reſcindere Cenſuram, quâ à maioribus ſuis damnata eſt illa propoſitio: *Libertas & neceſſitas eidem conueniunt reſpectu eiuſdem; & ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*, vt nuper prohibuerint, ne cuiquam è ſuis liceret in poſterum propoſitiones à Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. proſcriptas defendere; quas inter iſtæ ſunt ſuperiori ſimillimæ: *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*: Et: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Qui id vnum contendit, tibíne clamare videtur totam Vrbani VIII. Bullam à Sorbona receptam eſſe?

SECTIO III.

Ventilantur ridiculæ Vincentij exceptiones quibus Belgarum Theologorum cenſuram eludit.

EGregia verò & ad laboris compendium perquàm expedita eſt illa reſponſio, quâ Ioannis Malderi Epiſcopi Antuerpienſis, & Ioannis Wigers tui quondam collegæ cenſuram effugis. Nam cum eorum teſtimonia, quibus opinionem tuam Hæreticam eſſe pronuntiant, clariora tibi viderentur quàm vt vllis poſſent præſtigijs obſcurari, reſpondes mutaturos ſententiam *ſi iam viuerent, & clauim iſtam arcanorum S. Auguſtini ab Epiſcopo Iprenſi apertam aſpexiſſent.* Vincentius lib. 2. cap. 9. ſect. 1.

Pertinax tibi videbor, ſi tam validæ inuictæque reſ-

ponſioni protinus non acquieſcam; non poſſum tamen non obijcere, nihil prorſus in vtriuſque ſcriptis reperiri vnde id ſuſpicari liceat. Neque enim illi vnam aut alteram opinionis tuæ partem, ſed omnes prorſus diſertiſſimè ac ſine ambage Hæreticas eſſe profitentur. Docet Præceptor tuus nullam eſſe hoc in ſtatu gratiam excitantem, quæ non ſit efficax: At illi genuinam hanc eſſe Caluini opinionem clamant. Malderus quidem 1. 2. quæſt. 111. art 3. dub. 4. Wigers verò ibidem §. 23. *Caluinus,* inquiunt, *Nullam vult agnoſcendam gratiam excitantem quæ non ſit efficax.* Negas Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus mortem obijſſe. Tuam hanc opinionem *blaſphemam, Turcicam, non tolerandam* Malderus vocat in Antiſynodicis cap. 7. & in 1. 2. quæſt. 111. dub. 5. memb. 1. Quod verò acrius contendis ſimplicem neceſſitatē cuiuſmodi eſt in amore beatifico, libertati ad meritum requiſitæ non aduerſari, hoc illi ſine dubio Hæreticum eſſe pronuntiant. Wigers in 1. 2. quæſt. 6. art. 2. num. 6. & Malderus diſp. 59. in 1. part. vbi cùm hæc Caluiniſtarum verba retuliſſet: *In cælis electi Deo ſeruiunt non tantùm voluntariè ſed etiam liberè:* ſubijcit: *Veriſimile eſt, in eo auctorem huius articuli hallucinari, quòd vt ſolent Sectarij non plus ad libertatem requirat, quam ad rationem voluntarij. Certum itaque eſt in amore beatifico electos non eſſe liberos ſed tantùm voluntarios.*

Quænam verò eſt illa *arcanorum S. Auguſtini clauis,* quæ ad hæc omnia reuocanda eos impuliſſet, ſi notam habuiſſent? Nempe arcanum illud vtriuſque gratiæ diſcrimen, quod vulgò *Auguſtinianæ doctrinæ clauim* appellatis, vt ille annotat, qui librum de Correptione & gratia Gallicum fecit. At diſcrimen illud nouit Malderus, & quaſi Caluini commentum exploſit in 1. 2. de diuiſione gratiæ dub. 13. Quàm futilis ergo tua hæc coniectura, quæ tam falſo fundamento nititur? Poſſem ego probabilius affirmare, eos, ſi iam viuerent, acriori cenſurâ idem dogma notaturos; nam cum illud maximè reijciāt,

quòd

quòd Pij V. & Gregorij XIII. Bullis proſcriptum ſit: quid agerent, ſi Vrbani quoque VIII. & Innocentij X. decretis percuſſum aſpicerent?

Poſſem quoque meliori iure ſuſpicari mutandam à Doctore tuo, ſi iam viueret, opinionem ſuam. Cum enim in eius teſtamento legam: *Si Romana ſedes aliquid in meis ſcriptis mutari velit, ſum obediens filius, & illius Eccleſiæ, in qua ſemper vixi vſque ad hunc lectum mortis, obediens ſum. Ita mea poſtremo voluntas:* Et aliunde Apoſtolicam ſedem ſic fulminantem audiam: *Cùm ex diligenti & matura eiuſdem, libri cui titulus Auguſtinus, lectione compertum fuerit in eodem libro multas ex propoſitionibus, à Prædeceſſoribus noſtris olim, vt præfertur, damnatis, contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & auctoritatis dictæ ſedis contemptu contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi, &c.* quidni colligam mutanda ab eo plurima ſi iam viueret, & Apoſtolicã ſedem ſic intonantem audiret? Nemo eſt certè, qui meam hanc coniecturam tuâ probabiliorem non putet.

Nihilo validior eſt ea reſponſio quam ad obiecta Guillelmi Eſtij teſtimonia adhibes, *Etiamne*, ais, *Guillelmum Eſtium in tuas partes ſollicitaſti Ricarde?* Quidni illum hac in parte mihi ſuffragari dicam, qui tuum illud, de quo litigamus, dogma Hæreſis condemnat? At Ieſuitis per infenſus fuit, & conflatæ in Leonardum Leſſium Cenſuræ præcipuus auctor. Eſto. Plus inde eius teſtimonio roboris accedit. Quàm aperta enim & manifeſta debuit eſſe dogmatis veſtri infamia, vt in eius Cenſuram infenſiſſimus Ieſuitarum hoſtis cum ijs conſpiraret. Atque vt intelligas quàm ſeriò veréque dixerim neminem eſſe veſtro dogmati infenſiorem, quid de tua opinione, eiuſque fundamentis ſentiat paulò accuratius explicabo.

Primò, docet in 2. diſt. 24. §. 1. Hæreticos eſſe qui negant *ad propriam liberi arbitrij rationem pertinere, vt ſit liberum à neceſſitate naturali.* Quam inſidioſè verò & fraudulenter aſſeras id te *vtroque pollice approbare*, qui-

ceſſitate mouetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur. Hæc autem opinio eſt Hæretica. Tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quòd vitare non poſſit. Sed quâ tandem arte veritatem adeo claram nititur obſcurare?

Ait hæc verba: *Quidam poſuerunt quòd voluntas hominis ex neceſſitate moueretur*, non eſſe accipienda de ſimplici illa neceſſitate, quam ipſe cum libero arbitrio componit? ſed de *ſimplici neceſſitate coactiua*, quâ liberum arbitrium deleri putat. Quâ de reſponſione, quaſi ſubtilis eſſet, ac ingenioſa, mirificè ſibi placet, atque blanditur. Inſulsè. Nam, vt omittam ex ea ſaltem conſequi, noui Doctoris opinionem, cui ſimplex illa neceſſitas liberum arbitrium perimens prorſus eſt ignota, à S. Thoma damnari, certum eſt agi eo loco de illa ipſa neceſſitate, quam Vincentius cum libertate conciliat. Patet illud cùm ex ipſo corpore articuli, tum ex omnibus ferè argumentorum ſolutionibus.

Quoties inculcas Vincenti, neceſſitatem quâ beatitudinem appetimus libertati non eſſe inimicam? De illa tamen ipſa S. Thomas hîc agit. Nam vt probet illos errare, qui *poſuerunt quod voluntas hominis ex neceſſitate moueretur*, ſic diſputat: *Si apprehendatur aliquid vt bonum conueniens ſecundùm omnia particularia, quæ conſiderari poſſunt, ex neceſſitate mouebit voluntatem. Et propter hoc homo ex neceſſitate appetit beatitudinem quæ ſecundùm Boetium eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*, &c. *Si autem ſit tale bonum, quod non inueniatur eſſe bonum ſecundùm omnia particularia, quæ conſiderari poſſunt* (cuiuſmodi eſſe ait reliqua omnia quæ hîc nobis offeruntur) *non ex neceſſitate mouebit.* Vnde colligit: *Sic ergo quantùm ad aliqua voluntas ex neceſſitate mouetur, non autem quantùm ad omnia.* Hæc ſi legiſſes Vincenti, nunquam opinor tam temere, tam inconſultè contendiſſes

hîc

hîc non agi de illa neceſſitate, quam cum libertate connectis, cuiuſmodi eſt ea quâ Beatitudinem neceſſariò appetimus.

Cùm ibidem obiectum eſſet in 7. Præt. *Videtur quòd voluntas de neceſsitate moueatur ab appetibili: non eſt ergo liberum homini velle, vel non velle*: continuò reſpondet *Dicendum quòd voluntas habet neceſsitatem reſpectu finis vltimi, quia omnis homo ex neceſsitate vult eſſe Beatus; non autem reſpectu eorum quæ ſunt ad finem*. Inde tamen noua obiectio naſcitur ſic expreſſa: *Vbi eſt idem mo[illegible]um & idem mobile, eſt & idem modus mouẽdi: ſed cùm aliquis vult finem & ea quæ ſunt ad finem, idem eſt quod mouetur ſcilicet voluntas, & idem mouens: quia ea quæ ſunt ad finem non vult aliquis, niſi inquantum vult finem; Ergo eſt idem modus mouendi, vt ſcilicet ſicut aliquis ex neceſsitate vult finem vltimum: ita ex neceſsitate vult ea quæ ſunt ad finem.* Nec ipſe Vincentius negare poteſt id vnum hoc argumento contendi, nos eadem neceſſitate velle quæ ſunt ad finem, quâ finem ipſum volumus. Reſpondet S. Doctor ad 9. *Dicendum quòd quando ad finem non poſſet perueniri niſi vnâ viâ, tunc eadem ratio eſſet volendi finem, & ea quæ ſunt ad finem: ſed ita non eſt in propoſito. Nam multis vijs ad beatitudinem perueniri poteſt. Et ideo licèt homo ex neceſsitate velit beatitudinem, nihil tamen eorum, quæ ad beatitudinem ducunt ex neceſsitate vult.* Hinc patet eos quibuſcum S. Doctor hîc diſputat, cauſam viciſſe, ſi eadem neceſſitate *media*, quâ finem vltimum voluntas noſtra vellet; adeóque cum aiunt *voluntatem hominis ex neceſsitate moueri, non tamen cogi*, de illa ipſa neceſſitate ſermonem eſſe, quæ Vincentij iudicio cum libertate belliſſimè cohæret.

Clarius illud ipſum eluceſcit ex obiectione conſequenti: *Intellectus*, aiunt, *ex neceſsitate mouetur à ſuo obiecto; ergo eadem ratione & voluntas neceſſariò mouetur à ſuo obiecto*. Reſpondet S. Thomas: *Sicut voluntas mouetur ex neceſsitate ab obiecto, quod eſt omnifariam bonum;*

non autem ab obiecto, quod poteſt accipi ſecundùm aliquam rationem vt malum : ita etiam intellectus ex neceſsitate mouetur à vero neceſſario, quod non poteſt accipi, vt falſum: non autem à vero contingenti, quod poteſt accipi vt falſum. Igitur neceſſitas illa, quam hîc S. Doctor à liberis volitionibus arcere nititur, illa ipſa eſt quâ mouemur ab obiecto *quod eſt omnifariam bonum.*

Affirmat tamen Vincentius, quæ eſt hominis fides, de illa neceſſitate hîc non agi, neque illos *qui poſuerunt quòd voluntas hominis ex neceſsitate moueretur*, damnari quòd ſimplici illa neceſſitate nos alligari putent, quâ voluntas neceſſariò finem vltimum amat; ſed quòd duriorem quandam nobis imponant, & libertati magis infenſam, quàm quæ in amore Beatifico, & Spiritus ſancti productione cernitur. Quid abſurdius? quid à S. Doctoris mente magis alienum cogitari poteſt?

At quo tandem argumento ſuam hanc reſponſionem colorare nititur? Ineptiſſimo. *Tunc,* inquit, *S. Thomas aduersùs nouos illius temporis Manichæos ſcribebat, qui S. Petrum martyrem ex eadem S. Dominici familia martyrio etiam affecerunt.* Eſto. Quid hinc efficis? *Manichæi*, inquit, *liberi arbitrij euerſores erant per ſimplicem neceſsitatem coactiuam*, quæ maior eſt ea, quâ Beatus Deum, aut Deus ſe ipſum diligit: adeóque in his S. Thomæ verbis, quibus Manichæorum opinio explicatur: *Quidam poſuerunt quòd voluntas ex neceſsitate moueretur*, maior quædam neceſſitas exprimi debet, quàm quæ in Beati erga Deum, aut Dei erga ſe ipſum amore cernitur. Hæc Vincentianæ reſponſionis ſumma: quæ perito lectori riſum aut indignationem mouebit. Nam ſi conſtaret Manichæos id ſenſiſſe, quod illis Vincentius affingit, certum eſſet D. Thomam hoc loco aduersùs eos non agere, cùm ex recitatis eius teſtimoniis liquidò conſtet, id vnum ab eo contendi, ſimplicem illam neceſſitaetm, quâ *voluntas ex neceſsitate appetit beatitudinem* ab alijs volitionibus abeſſe quibus *ea quæ ſunt ad finem* amat.

Deinde falſitatem omnem ſuperat, quod de Manichæorum opinione Vincentius garrit. Certum eſt enim bonam animam ex Manichæorum ſententia, cùm malæ illecebris non vincitur, eadem neceſſitate bonum amare, quâ Deus ſe ipſum diligit, quia Dei fragmentum eſt: certum eſt quoque malam animam eadem neceſſitate malum velle; ſiquidem eſt principij illius particula, quod eadem neceſſitate malum amat, quâ Deus bonum. Hæc duo certiora ſunt, quam vt à Vincentio negari poſſint. Et verò non negantur. Quamobrem etſi concederem (quod plurimis & euidentibus S. Auguſtini teſtimoniis falſum eſſe conuici) Manichæos voluiſſe bonam animam, cùm malè agit, duriori illa neceſſitate conſtringi, quam Vincentius libertati opponit, cauſam tamen viciſſem. Ait enim S. Thomas opinionem illam, quam hîc Hæreticam eſſe pronuntiat, *tollere rationem meriti, & demeriti in humanis actibus; quia non videtur eſſe meritorium vel demeritorium quod aliquis ſic ex neceſſitate agit*, quare cum Manichæi, de quibus hîc ſermonem haberi Vincentius opinatur, eâ tantùm neceſſitate bonam animam, cùm alterius illecebras contemnit, bene agere exiſtiment, quâ Deus ipſe, cuius eſt particula, bonum amat, hinc certò conficitur, neceſſitatem illam, quam purè ſimplicem Vincentius appellat, *meriti rationem tollere*.

Obſtrepit adhuc Vincentius, pugnátque opinionem ſuam hoc S. Thomæ loco proſcribi non poſſe, quin eodem phyſicæ prædeterminationis aſſertores damnentur. Ridebit poſtremum illud effugium, qui recordabitur, quod ſuperiore ſectione perſtrinxi, *Prædeterminantes*, ſic vocant, tantùm abeſſe à Vincentij opinione, vt illam planè ac diſertè Hæreticam eſſe pronuntient. Aiunt enim Hæreticorum huius temporis hunc eſſe errorem, vt aſſerant libertatem ad meritum requiſitam ſimplici illa neceſſitate non violari, quâ beatitudinem appetimus, aut beati Deum amant. Quod diſertiſſimè omnium

facit Guillemus Eſtius in 2. diſt. 24. §. 1. & 2. vbi ad illam Hæreticorum opinionem debellandam hunc ipſum S. Thomæ locum adhibet: *Quare non immeritò*, inquit, *S. Thomas quæſt. 6. de Malo art. vnico affirmat hæreſim eſſe non ſolùm apud Theologos, ſed etiam apud Philoſophos dicere quòd ad liberam electionem non requiritur libertas à neceſſitate*; nimirum, *naturali*, vt ibidem Eſtius explicat, *quâ*, inquit, *mouetur voluntas in finem naturaliter*.

Iactabis etiamnum Vincenti, prædeterminationis aſſertores dogmati tuo patrocinari? Iactabis hoc S. Thomæ loco te doctorémque tuum non iugulari?

SECTIO II.

Galli Doctores Vincentij opinionem, vt Hæreticam, & Caluinianam reijciunt.

NOn is eſt Vincentius qui facilè animum deſpondeat, aut vlla difficultate frangatur. Quemcunque illi auctorem obieceris quamuis clarè diſtinctéque nouum dogma condemnantem, ſuum eſſe gloriabitur. Plures ego Doctores Gallos protuli, & ſigillatim eorum teſtimonia expoſui, quibus nouæ opinioni infamem Hæreſis notam inurunt. Clamat tamen Vincentius eos ſuarum eſſe partium, nihílque affirmare prorſus, quod ipſe libenter non amplectatur. Qua in re candoris ſui ſpecimen exhibet perilluſtre. Nam ea diſſimulat omnia, quibus Doctores illi nouum dogma configunt, ac in vna tantùm eorum voce, quam perperam interpretatur, delitescit. Hæc eius verba: *Andreas du-Vallius, Nicolaus Yſambertus, Ioannes Puteanus, Marius Scribonius Galli docent, liberum arbitrium non ſolum eſſe liberum à coactione illa rigida, in qua patiens nihil agit, ſed etiam à neceſſitate abſoluta, ait du-Vallius, quam fatum veteres Philoſophi appellarunt. Quod libentiſſimè fatemur, & millies in-*

culcauimus. Breui hac reſponſione clariſſima tot Theologorum teſtimonia eludi putat.

Non ſic abibit. Placet enim illam accuratius expendere, eiúſque labes ac flagitia indicare. Ais Doctores illos contra huiuſce temporis Hæreſes ſtatuere, *liberum arbitrium non ſolum eſſe liberum à coactione illa rigida, in qua patiens nihil agit*. Quâ confeſſione Hæreticam eſſe profiteris Antiſtitis tui opinionem, quâ ad liberum arbitrium ſatis eſſe docet, *vt voluntas non ſe habeat merè paſſiuè, nec velut inanime quiddam nihil omnino agat*. Atque adeo mihi victoriam adiudicas; ſiquidem priori illa diſputatione, in quam cæco incurris impetu, non de tua, quam nondum noueram, ſed de ſola Doctoris tui opinione diſceptaui.

Nouus Doctor lib. 8. de gratia Chriſti cap. 17. 21.

Cùm verò addis *libenter te fateri*, quod ijdem Theologi docent, *liberum arbitrium eſſe liberum à neceſſitate abſoluta*, inſidiosè id facis. Neceſſitatem enim abſolutam eam interpretaris, quam vocas *coactiuam*, & libertati opponis, cùm certum ſit Doctores illos hoc nomine eam ipſum deſignare, quam *neceſſitatem purè ſimplicem* appellas, & cum libero arbitrio coniungis. Ita expreſsè Yſambertus eo loco quem appellaui ex Diſputat. 2. de libertate Chriſti art. 2. nam cum dixiſſet, *omnes Hæreticos etiam noſtri temporis, qui damnati ſunt ab Eccleſia, eo quòd negarent liberum arbitrium, damnari hoc ſolo titulo quod inducant neceſſitatem*, continuò addit ſe hoc nomine intelligere *neceſſitatem in operando*, cuiuſmodi *eſt in Deo, quoad proceſſionem Spiritus ſancti*, docétque *Patres expreſſè tradere libertatem ad meritum requiſitam eiuſmodi neceſſitatem in operando excludere*. Potuítne clarius opinionem tuam proſcribere, quâ *neceſſitatem naturalis inclinationis*, cuiuſmodi eſt ea quæ in Spiritus ſancti productione reperitur, libertati ad meritum requiſitæ aduerſari negas?

Illud ipſum apertè conficitur ex recitatis aliorum teſtimoniis. Nam Du-Vallius Tractatu de Humanis actio-

nibus quæſt. 3. art. 2. neceſsitatis illius *abſoluta* quâ liberum arbitrium à Caluino eripi docuerat, exemplum ponit *in fruitione beatifica, quæ eſt actus omnino neceſſarius.* Et Ioannes Puteanus in 1. 2. quæſt. 10. dubitat. 2. neceſſitatem illam, quam ab Hæreticis huius temporis cum libero arbitrio coniungi tradit, ait eſſe voluntariam, illique perſimilem, quâ *Pater & Filius neceſſariò producunt Spiritum ſanctum.* Ex quibus ita colligo: Docent Galli Doctores Hæreticam eſſe atque Caluinianam opinionem illam, quæ liberum arbitrium cum voluntaria illa neceſsitate coniungit, quâ Beati Deum amant, aut, Pater & Filius Spiritum ſanctum producunt: Atqui Vincentius idem prorſus defendit; Igitur eius ſententia Gallorum Theologorum iudicio Hæretica eſt atque Caluiniana. Ait tamen Vincentius ſe *libentiſſimè fateri*, quod Doctores illi pronuntiant.

Pari ſtupore afflatus videtur, cùm ad illud Pariſienſis Facultatis decretum reſpondet, quo anno Chriſti 1644. 15. Ianuarij nouum dogma à Scholis exulare iuſſum eſt. Nam vbi hæc eius verba deſcripſit: *Prohibuit Facultas tam Doctoribus, quàm Baccalaureis, ne probent, vel ſuſtineant prædictas propoſitiones, per Bullas Pÿ V. Gregorÿ XIII. & Vrbani VIII ſummorum Pontificum prohibitas,* ſubdit: *Quas propoſitiones nos etiam pro prohibitis habemus.* Rides Vincenti, & ſacram Facultatem, ſummóſque Pontifices ludis. Tu damnatas ab ijs opiniones cum Præceptore tuo inſtauras, acritérque defendis: & eas tamen *pro prohibitis habere te* iactas. Negabis forſan Baij propoſitiones à Pio V. & Gregorio XIII. proſcriptas à Doctore tuo renouari. At affirmat ſummus Pontifex Vrbanus VIII. diſertéque teſtatur, *Librum prædictum, cui titulus eſt Auguſtinus, articulos, opiniones & ſententias in dictis conſtitutionibus Pÿ V. & Gregorÿ XIII. reprobatas, atque damnatas continere, & renouare.* Vtri credendum potius, tibi, an ſummo Pontifici?

Futiliora ſunt quæ ſubijcis in hæc verba: *De cæteris*

autem ad Bullam nuperam Vrbani VIII. pertinentibus, cenſuit Facultas negotium illud eſſe differendum. Vade iam Ricarde, & totam Vrbani VIII. Bullam à Sorbona Pariſienſi receptam clama. O ſingularem calumniam! Egó-ne vnquam affirmaui totam Vrbani VIII. Bullam à Sorbona receptam eſſe? Lectorem obteſtor vt illum Diſputationis meæ locum conſulat, incredibilem Vincentij audaciam mirabitur. Id vnum pugnaui, recentes Sorbonicos adeo non reſcindere Cenſuram, quâ à maioribus ſuis damnata eſt illa propoſitio: *Libertas & neceſſitas eidem conueniunt reſpectu eiuſdem; & ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*, vt nuper prohibuerint, ne cuiquam è ſuis liceret in poſterum propoſitiones à Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. proſcriptas defendere; quas inter iſtæ ſunt ſuperiori ſimillimæ: *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit:* Et: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Qui id vnum contendit, tibíne clamare videtur totam Vrbani VIII. Bullam à Sorbona receptam eſſe?

SECTIO III.

Ventilantur ridiculæ Vincentij exceptiones quibus Belgarum Theologorum cenſuram eludit.

EGregia verò & ad laboris compendium perquàm expedita eſt illa reſponſio, quâ Ioannis Malderi Epiſcopi Antuerpienſis, & Ioannis Wigers tui quondam collegæ cenſuram effugis. Nam cum eorum teſtimonia, quibus opinionem tuam Hæreticam eſſe pronuntiant, clariora tibi viderentur quàm vt vllis poſſent præſtigijs obſcurari, reſpondes mutaturos ſententiam *ſi iam viuerent, & clauim iſtam arcanorum S. Auguſtini ab Epiſcopo Iprenſi apertam aſpexiſſent.* Vincentius lib. 2. cap. 9. ſect. 1.

Pertinax tibi videbor, ſi tam validæ inuictæque reſ-

ponſioni protinus non acquieſcam; non poſſum tamen non obijcere, nihil prorſus in vtriuſque ſcriptis reperiri vnde id ſuſpicari liceat. Neque enim illi vnam aut alteram opinionis tuæ partem, ſed omnes prorſus diſertiſſimè ac ſine ambage Hæreticas eſſe profitentur. Docet Præceptor tuus nullam eſſe hoc in ſtatu gratiam excitantem, quæ non ſit efficax: At illi genuinam hanc eſſe Caluini opinionem clamant. Malderus quidem 1. 2. quæſt. 111. art 3. dub. 4. Wigers verò ibidem §. 23. *Caluinus*, inquiunt, *Nullam vult agnoſcendam gratiam excitantem quæ non ſit efficax*. Negas Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus mortem obijſſe. Tuam hanc opinionem *blaſphemam, Turcicam, non tolerandam* Malderus vocat in Antiſynodicis cap. 7. & in 1. 2. quæſt. 111. dub. 5. memb. 1. Quod verò acrius contendis ſimplicem neceſſitatē cuiuſmodi eſt in amore beatifico, libertati ad meritum requiſitæ non aduerſari, hoc illi ſine dubio Hæreticum eſſe pronuntiant. Wigers in 1. 2. quæſt. 6. art. 2. num. 6. & Malderus diſp. 59. in 1. part. vbi cùm hæc Caluiniſtarum verba retuliſſet: *In calis electi Deo ſeruiunt non tantùm voluntariè ſed etiam liberè*: ſubijcit: *Veriſimile eſt, in eo auctorem huius articuli hallucinari, quòd vt ſolent Sectarij non plus ad libertatem requirat, quam ad rationem voluntarij. Certum itaque eſt in amore beatifico electos non eſſe liberos ſed tantùm voluntarios.*

Quænam verò eſt illa *arcanorum S. Auguſtini clauis*, quæ ad hæc omnia reuocanda eos impuliſſet, ſi notam habuiſſent? Nempe arcanum illud vtriuſque gratiæ diſcrimen, quod vulgò *Auguſtinianæ doctrinæ clauim* appellatis, vt ille annotat, qui librum de Correptione & gratia Gallicum fecit. At diſcrimen illud nouit Malderus, & quaſi Caluini commentum exploſit in 1. 2. de diuiſione gratiæ dub. 13. Quàm futilis ergo tua hæc coniectura, quæ tam falſo fundamento nititur? Poſſem ego probabilius affirmare, eos, ſi iam viuerent, acriori cenſurâ idem dogma notaturos; nam cum illud maximè reijciāt,
quòd

quòd Pij V. & Gregorij XIII. Bullis proſcriptum ſit: quid agerent, ſi Vrbani quoque VIII. & Innocentij X. decretis percuſſum aſpicerent?

Poſſem quoque meliori iure ſuſpicari mutandam à Doctore tuo, ſi iam viueret, opinionem ſuam. Cum enim in eius teſtamento legam: *Si Romana ſedes aliquid in meis ſcriptis mutari velit, ſum obediens filius, & illius Eccleſiæ, in qua ſemper vixi vſque ad hunc lectum mortis, obediens ſum. Ita mea poſtremo voluntas:* Et aliunde Apoſtolicam ſedem ſic fulminantem audiam: *Cùm ex diligenti & matura eiuſdem, libri cui titulus Auguſtinus, lectione compertum fuerit in eodem libro multas ex propoſitionibus, à Prædeceſſoribus noſtris olim, vt præfertur, damnatis, contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & auctoritatis dictæ ſedis contemptu contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi, &c.* quidni colligam mutanda ab eo plurima ſi iam viueret, & Apoſtolicã ſedem ſic intonantem audiret? Nemo eſt certè, qui meam hanc coniecturam tuâ probabiliorem non putet.

Nihilo validior eſt ea reſponſio quam ad obiecta Guillelmi Eſtij teſtimonia adhibes, *Etiamne*, ais, *Guillelmum Eſtium in tuas partes ſollicitaſti Ricarde?* Quidni illum hac in parte mihi ſuffragari dicam, qui tuum illud, de quo litigamus, dogma Hæreſis condemnat? At Ieſuitis per infenſus fuit, & conflatæ in Leonardum Leſſium Cenſuræ præcipuus auctor. Eſto. Plus inde eius teſtimonio roboris accedit. Quàm aperta enim & manifeſta debuit eſſe dogmatis veſtri infamia, vt in eius Cenſuram infenſiſſimus Ieſuitarum hoſtis cum ijs conſpiraret. Atque vt intelligas quàm ſeriò veréque dixerim neminem eſſe veſtro dogmati infenſiorem, quid de tua opinione, eiuſque fundamentis ſentiat paulò accuratius explicabo.

Primò, docet in 2. diſt. 24. §. 1. Hæreticos eſſe qui negant *ad propriam liberi arbitrij rationem pertinere, vt ſit liberum à neceſſitate naturali.* Quam inſidioſè verò & fraudulenter aſſeras id te *vtroque pollice approbare*, qui-

libet intelliget, qui hunc Eſtij locum legerit. Clarum eſt enim *neceſſitatis naturalis* nomine illam ipſam ab eo deſignari, quam tu cum libero arbitrio conſocias: eam nempe, *quâ voluntas*, inquit, *mouetur in finem vltimum naturaliter*. Vnde Diſt. 7. §. 7. ait Hæreticos huius temporis arbitrari ſatis eſſe ad propriam liberi arbitrij rationem voluntarium illud, *quo omnis intellectualis creatura ſponte ac voluntariè appetit beatitudinem*. An iſtud vtroque pollice approbas?

Secundò, illuſtriora argumenta, quibus opinionem tuam confirmas, Hæreticorum nomine proponit ſibi, & & eaſdem illis ſolutiones adhibet, quas ipſi vſurpamus. Pauca tantùm delibabo, ex quibus clareſcet magis, eum *neceſſitatis naturalis* nomine, quam ab Hæreticis cum libero arbitrio conciliari docet, illam ipſam intelligere, quam cum eodem componis. Ait ergo Caluiniſtas magnificè oſtentare locum illum Auguſtini, quod importunè nobis inculcatis, ex libro 22. de ciuit. cap. vlt. *Nec ideo liberum arbitrium* (Beati) *non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt*. Reſpondet: *non eſſe ſenſum quòd Beati habituri ſint arbitrium liberum ad non peccandum*. Tu tamen contrarium cum Caluino ſentis, negáſque neceſſitatem non peccandi, quæ in Beatis reperitur, libero arbitrio repugnare.

Addit Eſtius magni quoque à Caluiniſtis fieri alterum S. Auguſtini locum, quem etiam ſæpius obijcitis. Sumitur ex Enchiridio cap. 105. *Neque culpanda eſt*, inquit, *voluntas, aut voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt, quâ beati eſſe ſic volumus, vt eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam velle poſſimus*. Reſpondet, quod & nos ſolemus: *Voluntatem quâ beati eſſe volumus non debere negari liberam eſſe, quia habet contradictionis libertatem; poteſt enim quis actu non velle beatitudinem, & ab actu ceſſare.*

Tertiò, vt aduersùs Caluinum probet, libertatem arbitrij per operationem gratiæ nõ impediri, ſic argumen-

tatur §. 13. *Primus Angelus & primus homo ita ceciderunt vt ſtare poſſent; boni verò Angeli ita ſteterunt, vt cadere poſſent, vt fatentur Aduerſarÿ* (Caluiniſtæ nempe quibuſcum hîc diſputat) *Ergo & nunc poſt lapſum homines ita agunt bene, vel malè, vt poſsint non agere.* Quid ad tuam ſententiam profligãdam validius, quid ad noſtram confirmandam illuſtrius dici potuit? Vides igitur quàm non rideam, cùm Guillelmum Eſtium tuo dogmati infenſiſſimũm eſſe profiteor, quámque tu ineptè ad eius Cenſuram eludendã, ais, cum Ieſuitis iniquiorem fuiſſe. Nam hinc eius teſtimonio maior auctoritas accedit, cùm illud non partium ſtudio, ſed veritatis amore expreſſum ſit.

Eadem operâ Cuneri Epiſcopi Leouardienſis, & Ruardi Tapperi teſtimonia confirmari, quæ idcirco tantùm eleuabas, quòd Guillelmus Eſtius eos in quibuſdam erraſſe pronuntiaret. Adeo enim non redarguit quòd Caluinum damnant affirmantem, libertati ad meritum aut demeritum requiſitæ ſimplicem neceſsitatem, cuiuſmodi eſt ea, quâ Beati Deum amant, non aduerſari, vt hanc eorum Cenſuram grauioribus notis cumulet.

SECTIO IV.

Futiliſsima Vincentÿ reſponſa, quibus opinionem ſuam ab Hiſpanis Italíſque Doctoribus non proſcribi contendit.

PVdet me iamdudum tui, pigétque in his ventilandis ineptijs poſitæ operæ: nam inſulſæ ſunt adeo, vt vel nemine refellente vaneſcant, ſibíque fidem abrogent. Quid futilius illa reſponſione, quâ opinionẽ tuam Hiſpanorum Theologorum Cenſuræ ſubtrahis? *Hiſpani, inquis, illi* (nempe Aluares, Cumel, Cabrera, Ledeſma) *aduersùs Lutherum & Caluinum dicunt, quod & nos di-*

cimus; libertatem à propria & rigida coactione non ſufficere, ſed inſuper ad liberi arbitrij legitimam defenſionem, addendam eſſe neceſſitatem à ſimplici neceſſitate coactiua. Quod probas auctoritate Patris Lemos, qui *aiebat Bullam Pij V. intelligendam eſſe de neceſſitate naturæ, quando Bulla negare videtur, libertatem cum neceſſitate poſſe conſiſtere.*

Qui auctores illos leget, non poterit audaciæ tuæ atque temeritati non iraſci, quæ de illorum opinione tam ineptè pronuntiat. Ais te amplecti quod docent, *neceſſitatem naturæ* libero arbitrio aduerſari. Quâ fronte id profiteris, cum ſatis intelligas, eos hoc nomine neceſſitatem illam cenſere, quam libero arbitrio inimicam negas; eam nempe, quâ voluntas noſtra finem vltimum, Beatus Deum, Deus ſe ipſum neceſſariò amat? Docet Aluares diſputat. 22. num. 43. & Diſput. 105. num. 9. neceſſitatem, quæ eſt in amore beatifico libertatem ad meritum requiſitam interimere. An iſtud probas? Docet Cabrera in 3. part. quæſt. 18. art. 9. Et Franciſcus Cumel in 1. 2. diſcurſu 2. aſſert. 4. *libertatem voluntatis, quæ eſt capax meriti, & premij, eſſe oppoſitam neceſſitati ſimplici, cuiuſmodi eſt in amore beatifico,* inquit Cumel, *atque hanc concluſionem ita certam eſſe, vt ſine errore in fide negari non poſſit.* An tu iſtud amplecteris? Eadem eſt Banneſi, Ledeſmæ, Nunni, quos hîc appellas, ſententia. Túne illi ſubſcribis? Tu, inquam, qui tam diſertè, tam ſæpe, tam importunè inculcas, neceſſitatem illam ſimplicem, quæ eſt in amore beatifico libertati ad meritum requiſitæ non aduerſari?

Hîc verò mirari ſubit, cur cùm Hiſpanos Doctores alios, quorum teſtimonia protuleram, interpretari conatus ſis, de Franciſco tamen Horantio, quem vt nobiliſſimum Caluini debellatorem prima in acie collocaram, verbum feceris nullum. An leuior eius auctoritas tibi eſt viſa, quàm vt reſponſionem mereretur? At alios omnes longè ſuperat; cùm ſuum illud aduersùs Calui-

num opus, nunquam ſatis laudandum, Tridenti dum Concilio intereſſet elaborarit, & cum Doctiſſimis eiuſdem Concilij Theologis communicarit; vt in Epiſtola nuncupatoria ipſe teſtatur. An illum tuo dogmati nihil nocere arbitratus es? At ſingulas eius partes ſic expugnat, vt in te potius, quàm in Caluinum ſcripſiſſe videatur. Quem enim petit caput illud 50. ſic inſcriptum: *Reſpondetur Caluini cauillis, quibus arbitrij neceſſitatem probare nititur?* Quo capite illuſtriora, quibus nos impetis, argumenta, Caluini nomine proponit ac diſſoluit. Quem aliud hoc titulo? *Nullibi D. Auguſtinus aſſerit neceſſariò quemquam peccare.* Quem iſtud? *Secundum quod Caluinus in doctrina illa minus probat, eſt, quod Diuina gratia omnibus ſit expoſita: quæ res ex Auguſtino apertè vera eſſe conuincitur.* Hæc certè omnia per Caluini latus te Doctorémque tuum perimunt. Quid eſt ergo, cur tanti viri auctoritatem intactam prætermiſeris? Hoc vnum ſanè, quod opinionem tuam tam manifeſtè apertéque Hæreſeos notat, vt nullum artibus tuis & cauillis locum reliquerit.

Parceres famæ tuæ, ſi Italos quoque Theologos ſilentio præterires. Nam quis hanc reſponſionem ferat? *Itali, inter quos Bellarminus & Pennottus præcipui, etiam de neceſſitate naturæ, ſiue ſimplici coactiua explicari debent.* Vis, opinor, vtriuſque verba contra apertam eorum mentem exponi. Aiunt Caluinum errare, quòd illam ipſam opinionem defendat, quam tu pertinaciter tueris, & neceſsitatem illam, quâ *neceſſariò beati eſſe volumus*, quâ *Beati neceſſariò Deum amant*, cum libero arbitrio nihil nocere contendat. Tu iſthæc de alia quadam neceſsitate explicari iubes. Quin ergo imperas expungi è Bellarmini libris caput 5. & 6. libri 3. de Gratia & libero arbitrio, & ex Pennoti opere caput 16. & 17. libri primi? Nam quandiu ſtabunt illa tuam hanc interpretationem Doctorum ludibrio exponent. Diſertè enim tradunt, opinionem quam defendis, Caluini opinionem eſſe,

Catholicorum omnium iudicio damnatam, & argumenta omnia quibus nos premis, eiuſdem eſſe Caluini contra Catholicos pugnantis.

Da vel vnum ex illuſtrioribus S. Auguſtini teſtimoniis quo opinionem tuam niti gloriaris, quod Bellarminus, vel Pennotus à Caluino Catholicis obijci non teſtentur? Da aliquod ex validioribus tuis argumentis, quod ijdem non diſſoluant? Plurimum ad opinionem tuam ſtabiliendam roboris ineſſe putas ijs rationibus, quas ex Dei & Beatorum libertate ducis. At eaſdem à Caluino obiectas ita diluunt, vt cum Catholicis omnibus, Deum ac Beatos libero arbitrio agere negent, cum neceſſariò agunt. Plures Auguſtini ac Bernardi locos nobis opponis, vt vincas ſimplicem neceſsitatem cum libero arbitrio cohærere? At eoſdem omnes Bellarminus atque Pennotus fruſtrà à Caluino in communem Catholicorum opinionem, quæ noſtra eſt, iactari demonſtrant. Quin etiam decantatum illud vtriuſque gratiæ diſcrimen, quo veſtrum dogma fulcitur, Caluini inuentum eſſe produnt. Vnde cum Pennotus libro 9. cap. 13. Caluinum induxiſſet S. Auguſtini locum libro de correptione & gratia cap. 11. & 12. perinde ac Aduerſarij faciunt interpretantem, ſubdit: *Reſpondeo, iſtam non eſſe ſententiam Auguſtini, ſed coaceruationem multorum mendaciorum à Caluino compoſitam*, &c.

SECTIO V.

Vel ipſi Theologi, ad quos Vincentius prouocat, eius opinionem damnant: atque vt illam communi conſenſu Hæretici amplectuntur: ita eandem Catholici repudiant.

Metum prope incuſſit poſtremus ille Vincentij titulus: *Sed licèt omnes illi recentiores, quòs aduerſùs*

nos excitat Ricardus, à parte eius pugnarent, alios tamen parium aut maiorum virium, qui à nobis pugnant, opponere poſſumus. Expectabam vt in poſtremo illo conflictu numeroſam Catholicorum aciem educeret, qui eius opinionem tot ſuffragijs, atque Cenſuris percuſſam erigerent, ſuáque auctoritate tuerentur. Sed quæ ibi differit tituli minis adeo non reſpondent, vt nouos potiùs dogmatis ſui cenſores, quàm patronos aſciſcat. Lectorem obteſtor, vt vltimum hunc deſperati hominis impetum obſeruet. Nam ex eo facilè cognoſcet tam perditam eſſe, támque profligatam Vincentij cauſam, vt ex Catholicis Doctoribus nemo ſit prorſus, qui illi patrocinetur, nemo qui eius ſententiam, ſi modò illius meminerit, Hæreticam eſſe non pronuntiet.

Agitur inter nos de illa libertate, quæ, vt Vincentius ipſe annotat, *ad meritum aut demeritum actûs ſufficit.* Pugnat eiuſmodi libertatem non lædi ſimplici illa neceſſitate, quæ in amore beatifico, & Spiritus ſancti productione reperitur. Ego verò hanc opinionem à Catholicis omnibus, qui eius meminerunt, Hæreticam, atque Caluinianam appellari cõtendo. Plures protuli, qui tam clarè illud affirmant, vt eorum eludere teſtimonia Vincentius non potuerit. Peto iam vt his omnibus vel vnum probatum ſcriptorem opponat, qui eius opinioni ſuffragetur. *Thomiſtæ*, inquit, *omnes noſtri ſunt*. Thomiſtæ tui ſunt? Hac in quæſtione de qua litigamus tui ſunt? O te ad fingendum audacem! Cedò ex ijs vel vnum, qui tecum ſentiat, *libertatem, quæ ad meritum aut demeritum actûs ſufficit*, neceſſitate illa ſimplici, quæ in amore beatifico, & Spiritus ſancti productione cernitur, non violari? Certè eorum Principes Bannes, Ledeſma, Aluares, Cabrera, Eſtius, hanc opinionem Caluinianam atque Hæreticam eſſe profitentur.

Tantùm verò abeſt vt in amore beatifico aut Spiritus ſancti productione *libertatem quæ ad meritum aut demeritum ſufficit* Thomiſtæ agnoſcant, vt aduersùs Scotum

acerrimè pugnent nullam ijs actibus propriè dictam libertatem ineſſe. Pauca tantùm ex Dominico Bannes excerpam, quæ hanc illorum ſententiam dilucidè explicabunt. Ad art. 2. quæſt. 41. 1. partis ſic habet. *Dubitatur vtrum Spiritus ſanctus procedat liberè, an potius naturaliter & neceſſariò. De hac re D. Thomas dicit duo. Primum eſt, voluntas poteſt conſiderari, & vt natura eſt, & vt potentia libera eſt. Priori modo conſiderata habet operationem naturalem & neceſſariam, qualis eſt amor vltimi finis, & volitio boni in communi. Conſiderata verò poſteriori modo liberè operatur. Secundò dicit: Spiritus ſanctus procedit à voluntate non vt potentia libera eſt, ſed vt natura eſt, atque adeo non procedit liberè, ſed naturaliter & neceſſariò.* Tum vbi contrariam Scoti opinionem expoſuit; *Impropriè*, inquit, *& abuſiuè Scotus loquitur operationem neceſſariam appellans liberam* Mox: *Nullo modo concedendum eſt quod Spiritus ſanctus procedit liberè.* Rationem attexit: *Spiritus ſanctus non procedit liberè libertate contradictionis, neque libertate contrarietatis ergo nullo modo. Antecedens ſi termini explicentur apparebit eſſe verum ſecundùm fidem; conſequentia verò probatur à ſufficiente diuiſione.*

Ac ne qua difficultas ex varijs S. Thomæ locis naſceretur, ſic occurrit: *Aduertendum quod quandoque viri ſapientes confundunt liberum & voluntarium; ita quòd omne voluntarium appellant liberum. In quo ſenſu intelligendus eſt D. Thomas cùm in q. 10. de Potentia art. 2. ad 5. dicit quòd proceſſio Spiritus ſancti eſt libera, id eſt voluntaria. Sed tamen hic modus loquendi citra dubium eſt improprius, & non ſatis vſitatus. Impropriè enim omne voluntarium liberum appellatur. Vnde multò doctius D. Thomas hic in ſolutione ad 2. negat Spiritum ſanctum procedere liberè, concedens tamen illum procedere voluntariè.* Qui ita ſentiunt Thomiſtæ tibine ſuffragantur affirmanti, productionem Spiritus ſancti, non qualicunque libertate, ſed illâ ipsâ præditâ eſſe, *quæ ad meritum aut demeritum actûs ſufficit?*

Scoti ſaltem diſcipulos ſuarum eſſe partium Vincen-

tius clamat. *Scotiſtæ*, ait, *qui cum ſubtili ſuo duce amorem beatificum liberum eſſe, & Spiritum ſanctum liberè ſpirari docent noſtri ſunt.* Sed, ô vim incredibilem veritatis! ea continuò ſubiicit, quibus Scotiſtarum patrocinium ſibi ipſe abiudicat. *Etiamſi*, inquit, *non totam veritatem doceant, ſed a nouiſsima eius parte reſiliant; quando ſolam illam libertatem eſſentialem ad meritum aut demeritum actûs ſufficere negant.* Quid igitur eos hîc appellas cùm de ea libertate certamus, quæ ad meritum aut demeritum actûs ſufficit? Dabo, ſi velis, in amore beatifico & Spiritusſancti productione reperiri libertatem, modò excipere liceat, non eam eſſe, quæ laudis ac meriti fons eſt, & origo; an propterea tuus ſiun? Doctores Catholici, cùm obiicientibus Caluiniſtis: *Pater & Filius producunt neceſſario Spiritum ſanctum: & tamen certum eſt proceſsionem iſtam nuncupari liberam a Scotiſtis; Ergo, &c.* Reſpondent cum Puteano Tomo 1. in 1. 2. quæſt. 10. dubit. 2. Scotiſtas non loqui de libertate quæ ad meritum requiritur, iuuántne Caluinum, an confodiunt? Tibi ergo aduerſantur, non fauent Scotiſtæ, dum libertatem aliquam Spiritus ſancti productioni, & amori beatifico ſic adſcribunt, vt eam negent *ad meritum aut demeritum actûs ſufficere.*

Adhuc tamen nugandi tibi eſt animus. *Poſſum*, ais, *& Benedictum Pererium, Henriquezium, & Franciſcum Coſterum nobis vindicare.* Quidni id audeas, qui quos habet opinio tua cenſores acerrimos tibi aſſerere non erubeſcis? Vereor certè ne me ipſum tandem atque Petauium inter opinionis tuæ Patronos annumeres. At videtur Pererius, & Henriquez in *Thomiſtarum* opinionē propendere. Eſto. An idcirco tuam ſubleuant, quam ipſi *Thomiſtæ* Hæreticam eſſe profitentur? Docuítne vnquam Henriquez, quo maximè gloriaris, libertatem ex qua laus & meritum efflorefcit, non violari neceſſitate illa ſimplici, quæ in amore beatifico ſpectatur? Immo hanc opinionem *erroneam* eſſe pronuntiat. *Errant*, inquit cap. 6. de

ſine hominis, *qui eam libertatem impropriè dictam* (de illa ſermonem habet quæ eſt in amore beatifico) *putant ſatis eſſe ad meritum. Sanè in Chriſto aut illa dilectio Dei fuit libera ſecundùm aliquam rationem, vt quidam aſſerunt: aut certè per vnam illam, ſi erat actus neceſſarias, non meruit formaliter. Et ſatis eſt per dilectionem proximorum, & per eximios alios actus planè liberos meruiſſe.* Et cap. 14. negat, *Beatum neceſſario amore Deum diligentem*, fore liberum circa *euidens præceptum, quod Deus eadem viſione illi proponeret ſtatim implendum.* Quid non audeat Vincentius, qui hunc auctorem defendere audet ſibi, & inter præcipuos opinionis illius fautores adſcribere, quâ neceſſitatem ſimplicem, quæ in amore Beatifico reperitur, libertati ad meritum neceſſariæ infenſam negat?

Vbi nunc magnifici illius tituli minæ? vbi fides? Ne vnum quidem appellas ſcriptorem, qui huic opinioni tuæ patrocinetur. Patrocinetur autem? immò, qui vt Caluinianam, vt Hæreticam, vt erroneam non reijciat. Mirum id ſanè! nullum, poſt natam Caluini Hæreſim, dogmatis tui Catholicum meminiſſe, qui illud erroris nomine non infamarit, nullum Caluini aſſeclam extitiſſe, qui illud idem, perinde ac facis, pugnaciſſimè non defenderit. Nec te pudet non illud probare modò, ſed vt Catholicam doctrinam à S. Auguſtino & ſummis Pontificibus confirmatam prædicare. Si ita habet, velis nolis fatendum tibi eſt, Doctores omnes, qui ab annis centum & viginti in Eccleſia floruerunt, & probante Apoſtolica ſede cum recentioribus Hæreticis de libero arbitrio præliati ſunt, erraſſe grauiter, & Hæreticam opinionem pro Catholica defendiſſe: Hæreticos verò ſinceriorem de libero arbitrio doctrinam, ex S. Auguſtini & veteris Eccleſiæ mente propugnaſſe. Id, inquam, fatearis oportet, & Caluino ſubſcribas ita glorianti lib. 3. de libero arbitrio pag. 170. *Nos nihil quàm Auguſtinum ſequimur.* Quod vt omnes intelligant duas hic tabulas appendam eorum inſcriptas nominibus, qui abhinc an-

nis centum opinionem tuam diſertè vel defenderunt, vel proſcripſerunt.

Opinionem, quæ libertati ad meritum aut demeritum neceſſariæ aduerſari negat ſimplicem illam neceßitatem, quæ in amore beatifico, & Spiritus ſancti productione reperitur,

Defendunt vt Catholicam,	*Proſcribunt vt Hæreticam,*
Ioannes Caluinus.	Cardinalis Bellarminus.
Martinus Bucerus.	Didacus Aluares.
Philippus Melancthon.	Ioannes Malderus.
Theodorus Beza.	Cunerus Petri.
Volphangus Muſculus.	Franciſcus Horantius.
Petrus Martyr.	Andreas Du-Vallius.
Hieronymus Zanchius.	Philippus Gamachæus.
Petrus Molinæus.	Nicolaus Yſambertus.
Ioannes Piſcator.	Guillelmus Eſtius.
Daniel Chamierus.	Ioannes Wigers.
Dauid Pareus.	Gabriel Pennottus.
Zacharias Vrſinus.	Alexander Peſantius.
Ioannes Scharpius.	Petrus de Cabrera.
Amandus Polanus.	Franciſcus Cumel.
Guillelmus Ameſius	Dominicus Bannes.
Paulus Ferrius.	Petrus de Ledeſma.
Andreas Riuettus.	Henricus Henriques.
Robertus Sariſburienſis.	Thomas Stapletonus.
Martinus Chemnitius.	Bartholomæus Camerarius.
Nec vllus Caluini aſſecla diſſentit.	*Nec vllus Catholicus ſcriptor reclamat.*

CAPVT VII.

Quæ ex Patribus Vincentius profert, vel à Catholicis contra Caluinum pugnantibus clariſſimè ſoluuntur, vel eius dogmati manifeſtè repugnant.

QVIBVS tandem argumentis præpoſteram hanc nouitatem, cum vulgari pugnantem ſenſu, & communi Theologorum omnium Cenſura damnatam, ſtabilire Vincentius nititur? Iiſdem nempe omnibus, quibus à Caluino eiúſque conſecraneis munita eſt olim atque firmata. Quæ licèt Doctores Catholici fregerint iamdudum, nóſque eorum veſtigiis inhærentes plus nocere nouo dogmati, quàm fauere demonſtrauerimus, eadem tamen rurſus ingerit, & diſſimulata noſtra reſponſione, quaſi noua & intacta magnificè venditat. Hoccine eſt, Vincenti, bona fide agere? Hoccine reſpondere? Si his ſolutionibus argumenta tua labefactari putas, cur ea nobis denuo impingis? Si eaſdem futiles, & nullius eſſe momenti arbitraris, cur non impugnas? In his certè refellendis dominari induſtria tua deberet, ſi noui Doctoris patronum & vindicem, quem te profiteris, ſeriò ageres. Sed id vnum tibi penſi eſt, Lectorem ludificari, nec tam reſpondere, quàm videri reſpondiſſe. Tuam hanc fraudem longiori dignam obiurgatione paucis tantùm caſtigabo. Tum alia quædam in proferendis Sanctorum Patrum teſtimoniis flagitia tua obiter perſtringam.

SECTIO I.

Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ pro ſua opinione Caluiniſtæ proferunt, Vincentius nobis obijcit, diſſimulatâ clariſſimâ eorum ſolutione, quam ex Catholicis Doctoribus protuleram.

ETiamne Auguſtini locum opponis ex libro de natura & gratia cap. 46. vbi affirmanti Pelagio: *voluntatis arbitrio ac deliberatione priuari quidquid naturali neceſsitate conſtringitur:* Reſpondet: *Et hîc nonnulla quæſtio eſt. Per quàm enim abſurdum eſt, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem noſtram quòd Beati eſſe volumus, quia id omnino nolle non poſſumus neſcio quâ & bonâ conſtrictione naturæ: nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, ſed neceſſitatem habere iuſtitiæ, quia non poteſt velle peccare.* Cur ea ſaltem diſſimulas quæ ego pluribus oſtendi? Primum eſt Caluiniſtas eodem vti teſtimonio, vt pariter efficiant volũtatis actum naturali neceſſitate expreſſum, eâ præditum eſſe libertate, quæ ad meritum requiritur. Secundum Catholicos Doctores omnes, qui cum ijs ſunt congreſſi, atque in primis Bellarminum, Puteanum, Scribonium, ipſũmque adeo Guillelmum Eſtium, cui plurimum tribuere ſoletis, huic reclamare interpretationi, & quaſi erroneam atque Hæreticam reijcere. Tertium, eoſdem pluribus euincere, id vnum à S. Auguſtino hic ſtatui, naturalem illam neceſſitatem, quâ homo miſeriam, & Deus malum velle non poteſt, libero non officere arbitrio, quia libertatem contradictionis non violat, quâ vnâ tota liberi arbitrij ratio continetur. Quod directè petit fanaticum illud Pelagianorum effatum ex libro 1. Oper. imperf. pag. 150. *Liberum non eſt, niſi quod duo poteſt velle, id eſt, bonum & malum.* Cur hæc inquam, omittis omnia, quibus opinionis tuæ fundamen-

Vincentius lib. 1. cap. 12.

Lib. 2. cap. 5. ſect. 2. §. 1. & libro 1. cap. 1. ſect. 3. § 5.

tum illud penitus euertitur?

Vincent. lib. 1. cap. 20. Audes & hunc Proſperi locum nobis intentare, ex libro contra Collatorem cap. 19. *Liberum arbitrium, id eſt, rei ſibi placitæ ſpontaneus appetitus?* Audes inde colligere amorem beatificum, & Spiritus ſancti productionem liberi arbitrij actus eſſe? Quin ea ſaltem refellis, quæ ex Guillelmo Eſtio protuli, vt Caluiniſtas eodem Proſperi loco ſimiliter abuti demonſtrarem? *Proſper*, inquit, *illud vocat ſpontaneum; quod ita agit, vt poßit non agere. Vnde paulo pòſt etiam de primo homine dicit, quòd ſe ſponte bono priuauerit; per hoc volens ſignificare, ita eum peccaſſe, vt potuerit non peccare.* Accurata ſanè reſponſio, quæ nec à te nec à Caluino eludi poteſt, cùm vterque decernat, Adamum ita ſponte peccaſſe, vt potuerit non peccare. Cautè igitur feciſti, & ad obſcurandam veritatem ingenioſè cùm firmam adeo validámque reſponſionem nec tentare voluiſti.

Libro 3. cap. 1. ſect. 2. §. 3.

Vincentius lib. 1. cap. 11. Pergin, fracta & contrita Hæreticorum tela recudere? Profers Bernardi locum affirmantis ſermone 81. in cantica: *Voluntatem peccato in deterius mutatam, ſibi neceſſitatem facere*, &c. Sed reſponſionem omittis, quam huic Bernardi loco, dum à Caluiniſtis objiceretur primùm, Catholici adhibuerunt, quámque Eſtius ipſe in hæc verba contraxit: *Bernardus loquitur de neceßitate quadam impropriè dicta; quâ nimirum id neceſſariò facere quis dicitur, ad quod vehementer inclinatur. Iuxta quem modum neceßitate quadam peccare dicuntur, qui ſunt in longa conſuetudine peccandi.*

Vincentius lib. 1. cap. 12. Nuſquam verò rancida Caluiniſtarum argumenta magnificentiùs oſtentas, nuſquam Catholicorum reſponſiones diſſimulas callidiùs, quàm dum plurima S. Thomæ loca congeris, vt probes *ſolam neceßitatem coactionis, non verò naturalis inclinationis auferre voluntati libertatem.* Neque enim eo loco ſolutionis illius meminiſti, quam ex Catholicis hæc Caluiniſtarum tela depellentibus protuleram, quámque, ne reſpueres, Guillelmi

Eſtij verbis ita conceperam : *S. Thomas generaliùs loquitur de libertate voluntatis dum dicit eam violentiæ, vel coactioni opponi, non autem naturali neceſsitati. Dicet enim quod volontas liberè appetit felicitatem, licèt neceſſariò eam appetat : Et quod Deus liberè amet ſe ipſum, licèt id faciat neceſſariò : & quod Spiritus ſanctus liberè procedit à Patre, licet procedat ex neceſsitate ; non tamen dicit has eſſe actiones liberi arbitrij. Voluntas ergo generali modo dicitur libera, quatenus ſpontanea eſt.* Hanc, inquam, Guillelmi Eſtij, & Catholicorum cum Caluino decertantium reſponſionem, pluribus S. Thomæ teſtimonijs à me confirmatam, ne attingis quidem, ſed eâ prætermiſsâ, eadem S. Doctoris loca in opinionis tuæ præſidium colligis, quæ per vim à Caluiniſtis eò detorqueri, hæc Catholicorum reſponſio demonſtrat.

Lib. 2. cap. 1. ſect. 2. § 1.

Bellarminus lib. 3. de gratia & lib arb. cap. 6. Penn. lib. 1. cap. 17. Puteanus in 1. 2. q. 10. dub 2.

Atque vt Caluini diſcipuli teſte Guillelmo Eſtio aliíſque Catholicis Doctoribus, iſtud præcipuè inculcant ex quæſt. 10. de potent. art. 2. *Libertas voluntatis violentiæ & coactioni opponitur. Vnde voluntas liberè appetit felicitatem licèt neceſſariò appetat illam, & Deus ſua voluntate liberè amat ſe ipſum, licèt de neceſsitate amet*, eóque Romanæ Eccleſiæ doctrinam labefactari vociferantur: ſic & illud gloriosè venditas, & quaſi opinionem noſtram certò perimeret, nobis inſultas in hæc verba. *Quæſo ad iſtam philoſophiam arrigite, & dimittite aures Petaui, & Ricarde.* Te ipſum quæſo Vincenti, aures vt arrigas, & Gullelmum Eſtium, alióſque Catholicæ Doctores Eccleſiæ audias affirmãtes, Hæreticam eſſe atque Caluinianam interpretationem illam, quam huic loco affingis, pugnantéſque aduerſus Caluini ſobolem, S. Thomam hîc loqui de libertate impropriè dicta, quæ cum ſpontaneo confunditur. Cur hanc eorum reſponſionem, quam ipſius Guillelmi Eſtij verbis conceptam, & pluribus S. Thomæ munitam teſtimonijs fuſiùs expoſui, intactam præteris? cur eam non euertis, quæ ſtare non poteſt, quin maior libelli tui pars collabatur?

Vincentius libro 2. cap. 8. ſect. 7.

Te ipſum puduit tam inconſultæ fraudis. Quapropter ſub operis tui finem ſtrictim hanc reſponſionem delibas, ſed adeo imperitè & fallaciter, vt vel inde prudens Lector odorari poſſit, quàm callidè agas, & inſidiose. Tua hæc verba: *Dicis, Ricarde, quod vbi S. Thomas ait, libertatem pugnare quidem cum neceſsitate coactionis, ſed non cum neceſsitate naturalis inclinationis; vocem libertatis, pro libentia vſurpaſſe. Scio vnde iſtam naufragij tui, & vltimæ deſperationis tabulam arripueris, nempe à Leſsio tuo. Sed amabo te, noli rem tam ridiculam amplius dicere. Sic enim canis in voranda offa liberrimus eſſet, quia vorat libentiſsimè.* Non poteras illuſtrius imperitiæ, infidelitatis, atque imprudentiæ ſpecimen edere. Quâ verecundiâ affirmas me hanc reſponſionem ex Leſſio arripuiſſe, cum eam Guillelmi Eſtij verbis, quem infenſiſſimum Leſſij hoſtem vocas, expoſuerim? Quâ prudentiâ eandem *naufragij & vltimæ deſperationis tabulam* dicis? Ergóne in vltimæ deſperationis anguſtias coniecti erant Catholici, cùm Caluiniſtis hæc ipſa S. Thomæ teſtimonia ingerentibus, hanc reſponſionem dederunt? Erátne *naufragio* proximus toties laudatus à vobis Guillelmus Eſtius, cùm aduerſùs *Caluinum, Bucerum, & alios huius temporis Hæreticos* eandem vſurpauit? S. Thomæ diſcipulos non commemoro, atque in primis Dominicum Bannes qui in 1. part. quæſt. 41. art. 2. aſſerit *quandoque confundi liberum & voluntarium. In quo ſenſu*, inquit, *intelligendus eſt D. Thomas cùm in quæſt. 10. de pot. art. 2. dicit quod proceſsio Spiritus ſancti eſt libera. Sed tamen hic modus loquendi eſt improprius. Impropriè enim omne voluntarium liberum appellatur.* Alios quoque prætermitto, ex quorum mente Gabriel Pennottus docet libro 1. cap. 17. & 3. ſuperiora S. Thomæ teſtimonia *non ſuffragari Hæreticorum ſententiæ*, quia *liberum*, ſumit impropriè pro ſpontaneo & libenti.

Me tamen pro tua ſingulari humanitate obteſtaris, vt *nolim rem tam ridiculam amplius dicere.* Sed quidni dicam

cam mi Vincenti, quod Catholici Doctores, & Eſtius ille tuus, quem ſine elogio appellare non ſoletis, ad obterendam Caluini hæreſim dicendum eſſe præſcribunt. *Quia ſic*, inquis, *canis in voranda oſſa liberrimus eſſet, cùm voret libentiſsimè.* Méne hoc argumento perſuaderi poſſe arbitraris, vt hanc reſponſionem tot fidei propugnatorum auctoritate munitam, tot S. Thomæ confirmatam teſtimoniis repudiem? Vtinam mi Vincenti, non aliis vnquam argumentis Catholicorum ſolutiones Caluiniſtæ oppugnent. Hoc illis vnum ad Caluini cauſam penitus profligandam imprecor. Nam quis eos non rideret, ſi iſtud obiicerent? Quis non reponeret continuò Guillelmum Eſtium Catholicorum nomine affirmantem in ſuperioribus S. Thomæ locis *voluntatem generali modo dici liberam, quatenus ſpontánea eſt*, ſpontaneum ſumere pro *voluntario perfecto*, quod brutis animantibus idcirco tantùm negatur, quia, vt ait S. Thomas 1 2. quæſt. 6. art. 2. *perfectam finis cognitionem non habent:* Quis etiam non adderet, *liberum*, in ampliori quadam ſignificatione, quæ brutis quoque ſponte agentibus conueniat, nonnunquam vſurpari? Certè Præceptor tuus libro 6. de Gratia Chriſti cap. 2. *liberum*, vniuerſim definit, *non ligatum, ſeu inalligatum, inimpeditum:* nec idcirco tamen in ius vocatur, quòd hac definitione ſua auibus per aëra volantibus, immo & aquis prono defluentibus alueo libertatem quandam adſcribat. O te igitur inſulſum vitilitigatorem! qui Catholicis cum Caluino depræliantibus dicam impingis, quòd aliquam tuo cani libertatem attribuant, dum aſſerunt, *libertatem generaliùs & impropriè ſumptam confundi cum ſpontaneo.*

Qui nugaciſſimam hanc obiectionem tuam, & oppidò iocularem expenderit gratulabitur tibi quòd reſponſiones diſſimularis, quas ex Catholicis Doctoribus repeto, vt ea frangam argumenta, quæ ex Caluini gregalibus Princeps tuus emendicauit. Præſtat enim eas omitti penitùs, quàm imperitè adeo & illepidè oppugnari. Quam-

obrem laudo te, quòd cùm alia S. Thomæ loca rurſus oggeras, quibus libero arbitrio ſolam opponere coactionem videtur, eas tamen ſolutiones non attingis, quibus Caluiniſtas iiſdem locis pariter abutẽtes, à Romanæ Eccleſiæ Doctoribus, tuóque imprimis Guillelmo Eſtio falſitatis & imperitiæ conuictos fuiſſe pluribus demonſtraui. Laudo, quòd Bonauenturæ auctoritatem concedentis *actum neceſſarium, cuiuſmodi eſt in Beatis liberum eſſe*, ſic nobis opponas, vt ne memineris quidem reſponſionis illius, quam eidem Bonauenturæ loco, dum à Caluiniſtis obiectaretur, Guillelmus Eſtius adhibuit, quámque ipſius Gabrielis Biel auctoritate confirmaui, qui dilucidè oſtendit Bonauenturam agere de *libertate largiſſimè* ſumpta, non verò *de libertate quæ eſt principium meriti & demeriti*. Laudo denique quod multa SS. Patrum, ac precipuè S. Auguſtini, & S. Thomæ teſtimonia, quæ ex Caluiniſtis Doctor tuus deſcripſerat, ſic denuo proponas, vt quas ex Catholicis aduerſus Caluinum diſputantibus ſolutiones produxeram, & Guillelmi Eſtij, qui ferè vnus ex recentioribus Theologis Duci tuo placet, conceptas verbis, & pluribus Sanctorum Patrum teſtimoniis munitas fuſiſſimè expoſueram, prætermittas ac diſſimules.

Diſputationis noſtræ libro 3. cap. 1 ſect. 2. §. 2.

Vincentius lib. 1. cap. 9.

Diput. noſtræ libro. 3. cap. 2. ſect §. 1.

Id vnum queror, quòd cùm tantæ infidelitatis tibi ſis conſcius, inaniſſimè tamen glorieris, quòd nobis procaciter inſultes, quòd illa ipſa Doctoris tui argumenta, quæ fracta ſunt à nobis & obtrita, quaſi intacta, reponas.

SECTIO II.

Palmaris Vincentij imprudentia & infidelitas in aliis S. Auguſtini locis proferendis.

NOn ſum temere ſuſpicatus Vincentiani operis parentes duos extitiſſe, alterum noui dogmatis reti-

nentiorem, deſertorem alterum atque perfugam. Nam eius libelli capita quædam ad noui Doctoris amuſſim exacta contendunt acriter fieri non poſſe, vt voluntatis actus libertate priuetur: alia verò præciſè id negant, & priorum fundamenta ſuſque deque euertunt. Domeſticæ huius pugnæ nobile exemplum hîc proponam. Laudat Vincentius iam inde ab ipſo operis ingreſſu iſtud Præceptoris ſui effatum: *Non poteſt dari voluntas quæ non ſit libera*, quod vt probet S. Auguſtini locum producit ex libro 3. de libero arbitrio contra Manichæos cap. 3. vbi S. Doctor Dei præſcientiam humanæ libertati non officere his verbis demonſtrat: *Cum Deus ſit præſcius voluntatis noſtræ, cuius eſt præſcius ipſa erit: voluntas ergo erit, quia voluntatis eſt præſcius, nec voluntas eſſe poterit, ſi in poteſtate non erit.* Tum Vincentius ſubdit: *Verum iſtud non fore, ſi voluntas eſſe poſsit, quæ libera non ſit:* Nec Auguſtinum *rectè negotium ſuum egiſſe, ſi voluntas aliqua dari poteſt, quæ libera non ſit.*

Vincentius libro 1. cap. 3.

Tu iſtud afferas Vincenti, qui toto paſſim libro 2. acriter pugnas dari poſſe voluntatis actum, etiam vigilante ratione productum, qui non ſit liber? qui contendis Manichæos admiſiſſe voluntatem noſtram agere quidem, & ſponte agere, non tamen liberè? Quo vno & ſuperioris argumenti tui vim eneruas, & S. Auguſtini diſputationem ineptam eſſe profiteris. Quid enim opponas tuis ex verbis ſic argumentanti? Vincentius ait, S. Auguſtinum non rectè negotium ſuum egiſſe, ſi volũtas aliqua dari poteſt, quæ libera non ſit: At idem Vincentius docet, voluntatem aliquam dari poſſe, quæ libera non ſit; Ergo fateatur neceſſe eſt, S. Auguſtinum non rectè negotium ſuum egiſſe. Quid, inquam, ſic colligenti opponas?

Vincentius libro 2. cap. 3. ſect. 2.

Fuit ſingularis imprudentiæ illud Doctoris tui argumentum, quod ipſe fregeras, nobis obijcere: infidelitatis verò diſſimulare me hunc S. Auguſtini locum vobis extorſiſſe. Quid? Noſter ille titulus: *Demonſtratur nobi-*

Diſput. noſtræ libro 2. cap. 1. ſect. 2. § 2.

lem S. Auguſtini diſputationem immani corruptela ab Aduerſario deprauari, vt ex ea conficiat volitionem omnem eſſe in noſtra poteſtate, inuitare te non potuit ad ea vel ſtrictim refellenda, quibus eo loci contendo Præceptorem tuum hanc S. Auguſtini de libero arbitrio cum præſcientia conciliando diſputationem fœdè corrupiſſe? Non potuit à te reſponſionem elicere mea illa prouocatio? *Quemlibet minimè peruicacem arbitrum non recuſo: niſi ego eius iudicio vincam S. Auguſtinum hîc à nouo dogmatiſta flagitioſè corrumpi, per me non ſtabit, quin ille tanti Doctoris auctoritatem ſibi arroget, & de profligata communi opinione glorietur.* Deus immortalis! quàm hæc exagitares atrociter, ſi Doctoris tui interpretationem defendere, & quæ aduersùs illam diſputo confutare potuiſſes?

Sed vt omnem tibi præcidam excuſationem, quódque dudum poſtulo reſponſum extorqueam, hanc rurſus conditionem offero: Si demonſtraueris S. Auguſtinum eo loci, ad Dei præſcientiam cum humana libertate conciliandam, id vnum oſtendere, præſcientiam Dei non inferre voluntati coactiuam illam neceſſitatem, quâ vnâ liberum arbitrium violari putas, de neceſſitate verò purè ſimplici, cuiuſmodi eſt in amore beatifico prorſus tacuiſſe, dabo tibi S. Auguſtinum veſtro dogmati ſuffragari. Ampliùs dico, idem concedam, ſi vel vnum argumentum, quod citato loco fuſiùs perſequor, diſſolueris. Hæc eius ſumma: Agit S. Auguſtinus de primi hominis voluntate, probátque nullam ei neceſſitatem à Diuina præſcientia impoſitam fuiſſe, quæ eius peccatum excuſet: Atqui ex ipſius Aduerſarij conſenſu, non ſola coactiua neceſſitas, ſed etiam purè ſimplex, primi hominis peccatum excuſaſſet; Ergo S. Auguſtinus probat non tantùm coactiuam neceſſitatem, ſed nec purè ſimplicem, primi hominis voluntati à Diuina præſcientia impoſitam fuiſſe. Age Vincenti, hunc nodum vel ſolue, vel ſcinde. Si feceris, victum me profitebor: ſi, quod auguror, ne tentaueris quidem, iam inde tibi denuntio nun-

quam tecum mihi rem futuram.

Alterum S. Auguſtini de eadem præſcientia cum Cicerone diſputantis locum profers: ſed pro more tuo reſponſionem non attingis, quam ex Guillelmo Eſtio, Puteano, Pennoto, Bellarmino, Wigers, aliiſque Catholicis Doctoribus aduersùs Caluiniſtas eundem locum exponentibus produxi. Quamobrem te ad illud diſputationis noſtræ caput remitto, cuius maxima pars huic explicandæ difficultati impenditur, atque etiam obteſtor, vt iuſtiſſimæ voluntati meæ ſatisfacias, quam ibidem ſic expreſſi: *Optarem ego vt Aduerſariorum aliquis famoſæ illius S. Auguſtinum inter, & Ciceronem diſputationis, quam præcipuum opinionis ſuæ præſidium appellant, ſeriem integram pertexeret: ſtatueretque primò, quid ſit inter illos controuerſiæ: tum Ciceronis argumenta proponeret dilucidè: ac poſtremò S. Auguſtini reſponſiones ſingulis accommodaret. Hoc profectò tentare nemo poteſt, quin oſtendat vel inuitus, quàm immani interuallo à S. Doctoris mente præpoſtera nouitas aberrarit.* Cur contrarium non oſtendiſti? Cur hunc S. Auguſtini locum, ſiquidem eo perinde ac Præceptor tuus abuti volebas, malè à Doctoribus illis contra Caluinum agentibus explicari non demonſtraſti? Diſputationis noſtræ libro 2. cap. 5. ſect. 2.

Stuporem tuum apertiùs loquitur, quod ex libro de duabus animabus ſubiicis: nam eodem S. Auguſtini loco voluntatis noſtræ actum omnem liberum eſſe pugnas, quo Doctor tuus contendit, non hominis lapſi ſed Adami vnius libertatem exprimi. Iuuat vtriuſque verba deſcribere, vt conſtet quàm immeritò te illius defenſorem prædicas, à quo tam ſæpe & turpiter deſciſcis. *Auguſtinus*, inquis, *libro de duab. animabus cap.* 11. *cum ſic peccatum definiuiſſet: Eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere: corrigens ſe ipſum, quòd vltimam hanc particulam ex ſuperuacuo definitioni adiecisſet; Quanquam, ait, ſi liberum non ſit non eſt voluntas.* Vnde ſic colligis: *Omnis igitur voluntas, id*

eſt voluntatis actus, in S. Auguſtini Philoſophia libera eſt, eo ipſo quo eſt voluntas; quod eo pertinere vis, vt amori beatifico, & Spiritus ſancti productioni libertas tribuatur, quia actus voluntatis ſunt.

Quæ cum ducis tui opinione, & S. Auguſtini mente, ac verbis tam apertè pugnant, vt animum inducere non poſſim te vigilaſſe cum hæc ſcriberes. Docet Præceptor tuus, & pluribus docet, hîc non ſumi ab Auguſtino *voluntatem pro motu generaliter, qui à potentia voluntatis proficiſcitur, qualis eſt amor beatificus;* ſed in ſtrictiori alia ſignificatione, *Voluntas*, inquit, *ſeu libera voluntas, ſeu libertas in iſtis locis, eſt motus quem potentia voluntatis pro ſuo liberrimo nutu elicit, & quoquo verſum ſiue ad bonum, ſiue ad malum flectere poteſt, ſicut Adamus potuit.* Adeóque pugnat, illam peccati definitionem *nulli niſi primo Adami peccato competere.* Quod quidem imperitè facit, cum S. Auguſtinus diſertè aſſerat lib. 1. Operis imperfecti pag. 157. *in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate; quæ tantummodo peccata ſunt, vnde ab eis liberum eſt abſtinere.* Sed iſtud modò non diſputo, ſatis eſt mihi Præceptorem tuum docuiſſe, *voluntatem, & libertatem* hîc non ſumi ab Auguſtino in ampliori illa ſignificatione, quæ omnem deliberatæ voluntatis actum complectitur.

Nouus Doctor lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 21. & libro 3 cap. 9. 10. 11 12.

Idem vel ipſa quæ recitas S. Auguſtini verba clariſſimè docent, nam, vt tute annotas, illa duo promiſcuè vſurpat: *voluntas*, &: *id vnde liberum eſt abſtinere.* Atque vt omnem obſcuritatis vmbram depellat, ſubdit: *Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ, non voluntate faciunt: id eſt, ſi libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent, ſi denique abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur*, &c. Audis Vincenti, idem eſſe apud Auguſtinum: *voluntate agere*, &: *habere liberum ad faciendum & non faciendum motum animi atque abſtinendi ab opere ſuo poteſtatem.* Audes tamen pugnare hîc ab eo *voluntatis*, & *libertatis* nomen ſic accipi, vt omni pror-

ſus deliberatæ voluntati, atque adeo Spiritus ſancti productioni conueniat. Certè vt id efficias probandum eſt tibi, Patrem & filium ita Diuinum amorem ſpirare, vt habeant liberum ad ſpirandum & non ſpirandum motum animi, poteſtatémque ab illa productione abſtinendi. Hoc cum effeceris, concedam Spiritus ſancti productionem ea libertate præditam eſſe, quam hîc S. Auguſtinus *voluntatis* nomine complectitur.

Hinc effloreſcit trita illa apud ſanctos Patres *voluntatis* notio, quæ non omnes promiſcuè actus, ſed eos tantùm continet, quos voluntas pro arbitrio exerere poteſt, vel premere. Quæ vna obſeruatio nuperi dogmatis machinas omnes euertit atque diſturbat.

CAPVT VIII.

Expenduntur, quæ Vincentius profert, vt defendat, Deum impoſsibilia præcipere, & hominem iuſtè damnari ob peccata, quæ vitare non potuit.

QVÆ appendicis loco ſuæ de Hæreſi Manichæa diſputationi Vincentius attexit, hunc in locum reiicienda putaui, quòd non ſint carpenda obiter, ſed accuratiùs vberiúſque tractanda.

SECTIO I.

Multa peccat Vincentius in hoc Caluini dogmate inſtaurando.

GRauis Caluinum inter & Catholicos de peccandi neceſſitate contentio exarſit. Nam vt Chamierus ait Tomo 3. lib. 3. c. 2. *Negabat Caluinus hanc Papiſtarum conſequentiam: Si peccatum neceſſarium eſt, ergo non eſt pec-*

catum. Rationes negandi ſunt. Primò, quoniam idem argumentum erat Pelagianorum contra Auguſtinum. Secundò, quia peccata ſunt non ex creatione, ſed ex corruptione naturæ, quæ fuit à peccato primi hominis, &c. Poſteriorem hanc rationem magni faciunt Caluiniſtæ, eâque Catholicorum rationes non tam infringi, quam explodi gloriantur. Vnde illud Graueri Articulo 18. de Libero arbitrio: *Nullius pilli eſt quod Pontificij vrgere ſolent, Deum non præcipere impoſsibilia, licet enim lex homini iam per lapſum Adæ corrupto ſit impoſsibilis, tamen ante corruptionem erat poſsibilis.* Addit Caluinus ipſe libro 4. de Libero arbitrio pag. 173. *Hoc reſponſo dilui omnes* Catholicorum *obiectiones.*

Inanem hanc Caluini argutiam noui dogmatis faber recudit: atque vt meliori in luce collocaret, pugnauit, peccata quæ eadem neceſſitate ex concupiſcentia fluerent, quâ amor beatificus ex clara Dei viſione ſequitur, punienda iuſtè à Deo, quia concupiſcentia Adami peccato contracta eſt. Quam eius opinionem iiſdem armis oppugnandam ſuſcepi, quibus iam pridem à Catholicis Doctoribus, qui in ea Caluiniani dogmatis arcem poſitam putauerunt, eſt euerſa. Ac primò demonſtraui Caluinum imperitè facere dum Catholicos ſugillat, quòd hæc S. Auguſtini verba: *Quis peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt*, etiam de homine corrupto interpretentur. Deinde accuratè probaui, hanc peccati definitionem ab eodem Auguſtino traditam: *Peccatum eſt id vnde liberum eſt abſtinere*, non primi tantùm hominis peccato, vt Caluinus delirat, ſed, vt ijdem Catholici contendunt, ijs etiam peccatis conuenire, quæ à nobis hoc in ſtatu deliberatò committuntur: Atque adeo pluribus oſtendi ſtare illud Caluini commentum non poſſe, quin S. Auguſtini Doctrina plus ſexaginta libris cõſignata collabatur. Poſtremò rationem adieci inde petitam, quòd ex communi omnium ſenſu peccandi neceſſitas, ſeu Diuinis mandatis obſequendi impotentia, quæ culpâ noſtrâ

contracta eſt, excuſet etiam à peccato, maximè ſi culpa, quâ illam incurrimus, nobis ſit condonata. Quod vt illuſtrarem ſerui exemplum protuli, qui culpâ ſuâ manus ſibi pedáſque fregerit. Nam ſi herus hanc illi culpam ex animo remittat, imperare poſtea non poteſt vt currat, vt deambulet, atque huic præcepto non obtemperantem ſeuerè caſtigare. Vnde colligebam Deum non poſſe homini baptizato æternas pœnas iuſtè infligere, ob ea peccata quæ eadem neceſſitate ex originali concupiſcentia orirentur, quâ amor beatificus ex clara Dei viſione conſequitur.

Ex his omnibus quæ inter ſe cohærent, atque nectuntur, poſteriorem tantùm partem Vincentius delegit, quam oppugnaret. Sed ijs machinis, quas vel ipſi iam fregimus, vel Catholicæ fidei aduersùs Caluinū propugnatores labefactarunt. Placet hominem veſtigijs conſequi, atque eius ceſpitationes & lapſus breuiter annotare.

Vincentius libro 2. cap. 3. ſect. 3.

Primò, queritur me *illa exempla finxiſſe, & adornaſſe*, vt noui dogmatis defenſores *riſui & ludibrio omnium muliercularum exponerem*. Quod tam altè eius animo inſedit, vt initio ſectionis 7. ita rurſus mecum expoſtulet: *Vt quid apud mulierculas iſto ſerui mutilati exemplo premere nos cogitaſti:* Iniuſta ſanè & illiberalis expoſtulatio! Egóne mulierculis iſta conſcripſi: qui idcirco vulgari abſtinendum lingua, & Latinè diſputandum arbitratus ſum, vt profanum vulgus arcerem ab ijs myſterijs, nec grauiſſimarum rerum tractationem muliercularum curioſitati exponerem? Veſtrum eſt, mihi crede Vincenti, veſtrum eſt illud crimen, Lutheri & Caluini exemplo, de gratia & prædeſtinatione mulierculis & imperitæ multitudini ſcribitis. Nec immeritò objicere vobis poſſum, quod Eraſmus Luthero, & Camerarius Caluino exprobrant: Vos libris de gratia & prædeſtinatione vernaculâ linguâ editis effeciſſe, vt mulierculæ paſſim & milites de grauioribus illis quæſtionibus audaciſsimè garriant.

Eraſmus in Hyperaſp. Camerar. lib. 2. cōtra Caluini.

ne profligata, extremum in altera perfugium haberes. At iſtud quoque nullo negatio intercludam.

Ais ſeruum culpâ ſuâ mutilatum hero curſum imperanti ſatisfacere, modò velit currere, etſi non currat. Quid ita? *Quia*, inquis, *praeceptum illud ambulandi non alloquitur potentiam ambulandi, ſed potentiam volendi, quae ſola actus ſuos in poteſtate ſua habet.* Digna ſanè reſponſio, quam furtim, & meticulosè proferres. Fateor mandata prorſus omnia voluntatem ipſam *conuenire*, vt S. Auguſtini verbis vtar. Fateor voluntatem ſolam actus ſuos in poteſtate habere. At non ſolos. Neque enim ſibi tantùm, ſed ſubiectis etiam facultatibus imperat. Habuit quondam ſerui illius voluntas curſum ipſum in ſua poteſtate. Quamobrem ex opinionis veſtrae placitis, *claudus iſte*, vt modò dicebas, *fractis pedibus tenetur ſaltare, etſi ſecundùm praeſentem ſtatum id in ſua poteſtate non habeat; quia culpâ ſuâ diſtortus eſt.* Et verò ſi mutilatus ille ſeruus ſolâ voluntate currendi, quam in poteſtate habet ſua, hero ſatisfacit curſum imperanti, ſtatuas oportet peccatores multos culpâ vacare. Nam cùm ex Catholica fide certum ſit, voluntatem omni penitus gratiae auxilio deſtitutam, ſupernaturalem actum, quo ad Deum conuertimur, in poteſtate ſua non habere: Deinde cùm ex nuperae ſententiae decretis addas homines dum peccant nullâ penitus gratiâ internâ donari, ſequitur profectò eos ſatisfacere Deo conuerſionem imperanti, ſi naturale quoddam conuerſionis deſiderium, quod vnum habent in poteſtate, exhibeant. Vim accipiet haec argumentatio ex iis, quae Princeps tuus docet Libro 6. de gratia Chriſti cap. 4. *Poteſt*, inquit, *voluntas velle actiones, quae tunc, quando vult eas, extra poteſtatem conſtitutae ſunt: quemadmodum quotidie videmus peccatores velle continere, & nondum poſſe; quia continere nondum eſt in eorum poteſtate, ideóque nec libertate. Dantur enim impotentiae etiam in voluntate, ad quas ſuperandas non ſufficit velle, ſed requiritur poſſe.* Fingamus igitur hinc quidē ſeruum,

marte fabricatam meo; ſed ex Catholicis aduersùs Caluinum ſcribentibus repetitam. Eius ſumma eſt ex Guillelmo Eſtio expreſſa: S. Bernardum cùm ait, *ipſam ſibi voluntatem peccato in deterius mutatam neceſſitatem facere*, loqui de neceſſitate impropriè dicta, quæ difficultas appellatur.

Quintò, tempus & operam perdit in congregandis S. Auguſtini teſtimonijs, quibus probet, *eum docuiſſe, neceſſitatem etiam quandam peccandi in praua & inueterata conſuetudine ineſſe, quæ à peccato non excuſat.* Nam quorſum illa colligit, quæ clariſſimè à nobis expoſita ſunt eo loco, cuius ſummam S. Thomæ verbis hic repræſento? Quærit S. Doctor quæſt. 6. de Malo art. vnico. *An homo ex neceſſitate eligat.* Statuit non eligere ex neceſſitate; *quia non videtur eſſe meritorium, vel demeritorium quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quòd vitare non poſſit.* Contra tamen ſic opponit: *Auguſtinus dicit in 8. confeſſionum quòd dum conſuetudini non reſiſtitur fit neceſſitas; Ergo videtur quod ſaltem in his qui ſunt aſſueti aliquid facere, voluntas ex neceſſitate moueatur.* En illud ipſum quod hoc loco nobis opponis. Audi igitur quid S. Doctor reſpondeat ad 24. *Dicendum*, inquit, *quod conſuetudo facit neceſſitatem non ſimpliciter: ſed in repentinis pracipuè. Nam ex deliberatione quantumcunque conſuetus poteſt contra conſuetudinem agere.* Hæc S. Thomæ reſponſio expugnanda priùs erat Vincenti, quàm de illo argumento quod eneruat penitus ac frangit, inſtaurando cogitares.

SECTIO II.

Vana ſunt & futilia quæ Vincentius diſſerit, vt exemplum ſerui fractis pedibus ambulare iuſſi eludat.

Mirus es præſtigiator, mutilati ſerui exemplum tractas ſæpius, nec attingis tamen: neque enim

quod ex opinione tua conſequitur, quódque toties aſſerere videris, clarè & diſtinctè affirmas: nempe ſeruum pedibus culpâ ſuâ captum iuſtè puniri, quòd hero curſum imperanti non obtemperet. Quid tergiuerſaris? Quin planè loqueris & apertè? An muliercularum ludibrium times? *Ne crucia te obſecro anime mi*, quandiu Latinè pugnabis, te à muliercularum cenſura & riſu ſecurum fore præſtabo. Age ergo præcisè reſponde. Potéſtne ſeruus ille iuſtè puniri, quòd non ambulet. Si probaueris poſſe, manus dabo: ſin minus, cauſam obtinui.

Spem diſtinctæ reſponſionis facis cùm ita exclamas: *Comparatio iſta hominis, qui de culmine lapſus crura & pedes ſibi confregit, cum eo, qui paradiſi felicitate deciduus, per ignorantiæ & concupiſcentiæ vulnera, vtroque quodammodo crure ſe mutilauit, eſt S. Auguſtini. Vnde ludibrium, quo nos exagitas in ipſum quoque redit.* Addis: *Alio verò exemplo, & ad riſum tuum valde idoneo vtitur S. Gregorius lib. 9. moral. cap. 33. ad illa verba Iobi* 10. *Propter ſuperbiã, quaſi leænam capies me. Ait enim naturam humanam in primo parente, quaſi leænam, in foueam altam ſponte ad eſcæ appetitum deſilyſſe; vnde poſtea reſiliendo nullo modo poßit euadere. Crudele autem & tyrannicum dices, præcipere alicui homini ſub pœna mortis, vt inſtrumentis & neceſſarÿs auxilÿs deſtitutus, ex altißima foſſa euadat, etiamſi in eam ſponte, & ex malitia deſilierit.* Lib. 2. cap. 2. ſect. 3.

Dicam enimuerò, & cordatus quilibet aſſentietur. Tu ipſe an abnues? Negabis crudelem eum eſſe, qui cum ſeruo culpam remiſerit, quâ ſe in altiſſimam foſſam dedit præcipitem, nec illi funem demittit, aut aliud eiuſmodi, cuius ope hinc euadere poſſit, imperat tamen vt euadat, atque huic præcepto non obtemperantem, lapidibus obruit? Negare certè videris crudelem eum fore, qui ſic agat. Quorſum enim exprobrares dicturum me, *Crudele iſtud & tyrannicum eſſe?* Aſſentiris mihi nihilominus, vt mox dicam, atque id ſine crudelitate fieri non poſſe clariſſimè doces. Quod dum facis, S. Augu-

Secundò, grauiter indignatur quod iſtud effatum; peccandi neceſſitas, ſi ex Adami peccato proficiſcatur, non excuſat à peccato, appellarim *inanem argutiam à Caluino excogitatam.* Sed quid agas mi Vincenti? Ita loquuntur Catholici omnes qui ad hanc diem aduersùs Caluinum probante Apoſtolica ſede ſcripſerunt. Franciſcum Horantium conſule toto paſſim libro 1. contra Caluinum, ac præcipuè cap. 51. vbi pluribus demonſtrat *Caluinum male meritum eſſe de Auguſtino*, quòd hanc illi opinionem affingat. Conſule Bellarminum Libro 5. de gratia & libero arbitrio cap. 14. atque alios qui aduersùs Caluiniſtas egerunt, idem omnes vnanimi conſenſu pronuntiant. Tibíne licebit obſoletas Caluini opiniones inſtaurare? Mihi verò nefas erit, quæ ad eas elidendas Catholici Doctores ſcripſerunt vſurpare?

Miratur tamen Vincentius, *quibus oculis S. Auguſtini vel vnicum aduersùs Pelagianos librum legere potuerim (ſi tamem legerim) vt illud ſæpiſſimè inculcatum non viderim.* Eadem Caluinus libro 2. de libero arbitrio, & toto ſparſim libro 2. Inſtit. de Catholicis miratur. Et Melanchthon in Apologia pro Luthero, *Nihil ſic miror*, inquit, *atque in tota Sorbonica facultate neminem fuiſſe, cui Auguſtini ſententia comperta fuerit: qui Auguſtinum attigerit.* Tum Sorbonicos ſic alloquitur: *Sinite*, inquit, *impetrari à vobis vt Auguſtinum non dico relegatis, ſed inſpiciatis tantùm, nam errorem veſtrum nulla pagina eſt, quæ non coarguat.* Facile patior Vincenti te ex iracundia illud ipſum mihi obijcere. Ex iracundia, inquam, neque enim animum inducere poſſum, hæc à te feriò dici Cùm ne verbo quidem perſtringere ſis auſus, quæ ex omnibus S. Auguſtini operibus collegi, vt opinionem veſtram perpetuæ eius doctrinæ aduerſari, & plus ſexaginta tanti Doctoris libros euertere demonſtrarem. Qua in re mihi gratulor, quòd vanus augur non fuerim, cùm vaticinatus ſum, vos ne tentaturos quidem iis argumentis reſpondere, quibus tantam in S. Auguſtini doctrina

Diſput. noſtræ libro 2. cap. 2. ſect. 1. & 2.

Ibidem §. 5.

ſtragem hac veſtra opinione illatam oſtendi.

Tertiò, atrociùs etiam accipit quòd ſcripſeram, nouum dogma crudelitatem Deo affingere, cum ab eo æternas pœnas infligi decernit ob peccata, quæ vitari non potuerunt. Sed quid in me vnum tam acriter excandeſcis Vincenti? Quin omnibus Catholicæ fidei aduersùs Caluinum defenſoribus iraſceris? Nam hæc eorum ſolemnis argumentatio, quam Paulus de Windek libro de Efficacia mortis Chriſti aduersùs Caluiniſtas pag. 158. ſic adſtringit: *Qualis autem eſſet atrox tyrannis, & horribilis Deo crudelitas, vt in eos ſtringat æternæ vindictæ aculeos, quibus ad eam vitandam auxilio ſufficienti nunquam præſto eſſe voluit? Ceu quis alicui mandaret ſub pœna capitis, vt in aëra abreptus volet. Impoſſibile mandando tam dirâ pœnâ conſtitutâ ſtultus & crudelis haberetur.* Quin ſuccenſes Ennodio eadem argumentatione vtenti lib. 2. Epiſtola 19. *O Schiſmaticam propoſitionem, quæ iuxta Apocalypſim ſcriptas habet in fronte blaſphemias! Quæ eſt iſta libertas, ſi valet, ediſſeras, vbi hoc datur ſolum velle, quod puniat: aut quare electionem nominet, vbi vnam tantùm partem aſſerit fuiſſe conceſſam. Quod ſi veritate ſubſiſteret, locum Diuina iudicia non haberent. Quid enim boni à nobis Deus noſter rectè quæreret, qui appetentiam eius de voluntate ſubſtraxerat? Inter homines à rectis diſcordat affectu, qui à ſubiectis exigit, quod in poteſtate non tribuit. Hoc de Deo quâ conſcientiâ ſentiatur aduertite.* Quin denique S. Auguſtino iraſceris inclamanti Libro de fide cap. 9. *Stultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere: & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas iuſſa complere.* Quæ verba non ad primum tantùm hominem, ſed etiam ad eius poſteros peccati labe infectos pertinere demonſtrauimus. Diſputationis noſtrę libro 2. cap. 3. ſect. 1.

Quartò, magno verborum apparatu Sancti Bernardi locum amplificat ex ſermone 81. in Cantica, quem ab eo ſæpius vſurpari iam monuimus. Sed, vt ſolet, reſponſionem prætermittit, quam eidem loco adhibui, non

ſit medicus, & neceſſaria ad vulneris curationem medicamenta? Nam ſi medicus abſit, vel ſuam illi operam neget, nemo dixerit: *Debet hic ſanari, & ſi debet poteſt.* Quamobrem adeo illud cauſæ tuæ non fauet, vt noceat maximè: neque enim S. Auguſtinus exemplum illud adhiberet, ſi tecum arbitraretur, Deum peccatoris illius, de quo agimus, vulneribus mederi nolle. Vnde ſubijcit. *Conſultiſſimè homini præcipi, vt rectis paſſibus ambulet, vt cùm ſe non poſſe perſpexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad ſanandam peccati claudicationem gratia Dei eſt per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quæ verba controuerſiam dirimunt: Neque enim S. Auguſtinus, rationem, cur huic claudo *conſultiſſimè præcipiatur, vt rectis paſſibus ambulet,* vobiſcum inde repetit, *quòd culpâ ſuâ diſtortus eſt:* Sed quòd in eius eſt poteſtate vt medicinam requirat, quæ noſtra eſt & Concilij Tridentini ſententia, fuſiùs paulò pòſt explicanda.

Hac dejectus arce aliam Vincentius occupat: atque hæc S. Auguſtini verba ex Epiſtola 105. nobis ingerit: *Quamuis ſe ipſi excuſare videantur, non admittit hanc excuſationem, qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum, eíque obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi eius, quo malè vſus eſt, libero voluntatis arbitrio, etiam quod tranſiret, in poſteros, manaſſe peccatum neque enim damnantur, qui non peccauerunt, quandoquidem illud ex vno in omnes pertranſijt, in quo, ante propria in ſingulis quibuſque peccata, omnes peccauerunt. Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſiue qui nouit, ſiue qui ignorat, ſiue qui iudicat, ſiue qui non iudicat: quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati.* Quæ poſteriora verba ita Vincentius interpretatur, quaſi S. Auguſtinus vellet, eos qui non potuerunt ſcire *aliquid eſſe peccatum*, adeóque inuincibiliter ignorant, non excuſari tamen à culpa, ſi illud cōmittant, quia hæc eorum ignorantia pœna peccati eſt.

æternis ſupplicijs expiandum: ſi verò *non potuerunt*, eadem *ignorantia, eſt pœna peccati* originalis, propter quod iuſtè damnabuntur. *Ergo in vtriſque non eſt iuſta excuſatio, ſed iuſta damnatio.*

Nihil igitur nouam opinionem locus hîc ſubleuat; immo funditus conuellit. Nam inde ſic diſputo. Docet hîc S. Auguſtinus ignorantiam Euangelij, in iis qui audire non potuerunt, pœnam eſſe peccati, & excuſare tamen à peccato infidelitatis, cuius eſt neceſſaria cauſa; igitur ex eius mente etiam ignorantia, quæ eſt pœna peccati, excuſat à peccato cuius eſt neceſſaria cauſa. Magnam à noui dogmatis proceribus inibis gratiam Vincenti, ſi hoc argumentum ſolueris: maiorem verò, ſi oſtenderis veſtrum illud quantum quantum eſt de peccandi neceſſitate commentum, hoc altero S. Auguſtini loco non profligari. Petitur ex libro 3. de Libero arbitrio cap. 18. & rurſus inculcatur libro de natura & gratia contra Pelagianos cap. 67. *Quis peccat*, inquit, *in eo quod nullo modo cau ri poteſt.* Tum paulò pòſt: *Hîc occurrit illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines rodere conſueuerunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm ſe accuſare parati ſunt. Dicunt enim ſi Adam & Eua peccauerunt, quid nos miſeri fecimus, vt cum ignorantiæ cæcitate & difficultatis cruciatibus naſceremur, & primò erraremus neſcientes quid nobis eſſet faciendum: deinde vbi nobis inciperent aperiri præcepta iuſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio qua neceſſitate non valeremus.* Caluinus reſponderet querelam hanc idcirco iniuſtam eſſe, quia peccandi neceſſitas ex concupiſcentia profluens non excuſat, cùm peccati pœna ſit. Longè aliter S. Auguſtinus. *Quibus breuiter*, inquit, *reſpondetur, vt quieſcant, & aduersùs Deum murmurare deſinant. Rectè enim fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret: cùm verò vbique ſit præſens, qui per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adiu-*

uet, exaudiat deprecantem, NON TIBI DEPVTATVR AD CVLPAM QVOD INVITVS IGNORAS, SED QVÒD NEGLIGIS QVÆRERE QVOD IGNORAS: NEQVE ILLVD QVOD VVLNERATA MEMBRA NON COLLIGIS, SED QVÒD VOLENTEM SANARE CONTEMNIS, ISTA TVA PROPRIA PECCATA SVNT.

Liceat hîc mihi verbis tuis vti, atque ita te compellare: *Duræ menti tuæ fortiter hæc imprime Vincenti. Iterum atque iterum hanc ſancti & profundiſſimi Doctoris reſponſionem penſicula*, & intelliges quantùm ab eius mente præpoſtere nouitatis illecebrâ captus aberraris. Porrò ex vtriuſque loci contentione iſtud exiſtit, quod huius quæſtionis difficultatem omnem abſterget: Duobus ſpectari modis poſſe hanc infidelium excuſationem: *Non audiuimus, ideo non credidimus.* Primò, ita vt reſpiciat peccatum, quod ex illa ignorantia ſequitur, & ſenſus ſit: damnari non debemus ob infidelitatem, nam *ideo non credidimus, quia non audiuimus.* Quo ſenſu iuſta eſt excuſatio: *Neque enim*, vt ait S. Auguſtinus poſteriori loco, *tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.* Secundò, ita vt ſpectet alia peccata, & ipſum originale, atque adeo ſit ille ſenſus, quem in priori S. Auguſtini loco habet: nullo modo damnari debemus; nam idcirco non credidimus, nec ſacro fonte à peccatis purgati ſumus, quia non audiuimus Euangelium. Quo ſenſu iniuſta eſt. *Nam ſi excuſatio illa iuſta eſſet*, inquit, S. Auguſtinus eodem loci; *non inde iam gratia, ſed iuſtitia liberaret. Cùm verò non liberat niſi gratia, nihil iuſtum inuenit in eo quem liberat: non voluntatem, non operationem, non ipſam excuſationem.*

SECTIO III.

Ex Vincentij opinione ſequitur peccatum originale baptizatis ſincerè à Deo non remitti.

CONcinnatam à Caluino de peccandi neceſſitate fabulam hoc maximè argumento Catholicæ fidei Vindices explodunt: *Originale peccatum*, Bellarmini verba ſunt libro 5. de grat. & libero arbit. cap. 14. *dimiſſum eſt in baptiſmo, vel vt non ſit iuxta veritatem, vel certè vt non imputetur iuxta Caluini ſententiam: igitur neque peccata illa, quæ inde naſcuntur, imputari baptizato poterunt, niſi accedat noua cauſa imputandi, ita eſt, quòd ita libera voluntate iam fiant, vt etiam vitari poſſint.*

Cum ex Caluiniani dogmatis parietinis, atque ruderibus, eandem de peccandi neceſſitate opinionem excitari denuo, & quaſi ex rediuiuis ædificari cernerē, Catholicorum illud argumentum, tanquam fatalem huic diruendæ fabricæ machinam adhibui. Atque vt inuictum eius robur demonſtrarem, exemplum illud protuli quod tandiu Vincentium exercet; ſerui nimirum, qui culpâ ſuâ ex domus culmine lapſus in præceps crura ſibi manúſque fregerit. Sic enim omnes intelligunt, qui hanc illi culpam ex animo herus condonarit imperare poſtea mutilato non poſſe, vt currat, vt deambulet, atque huic præcepto non obtemperantem ſeuerè caſtigare; igitur à pari, ſi Deus peccatum originale baptizato penitus remittit, damnare eum poſtea non poteſt, ob ea peccata, quæ tantâ neceſſitate ex relictis originalis iniuſtitiæ vulneribus profluerent, quantâ amor beatificus ex clara Dei viſione ſequitur.

Qui communem ſenſum vel habet, vel conſulit, tam apertæ veritati ſubſcribet. Reluctatur tamen Vincentius, & hanc Catholicorum aduersùs Caluinum argu-

ille non ſemper dici poßit liber, eadem libertate, quâ ab initio liberæ determinationis liber fuit: quemadmodum *actus liber Diuinæ voluntatis ratione liberrimæ determinationis, quâ ſe ad eum Deus ab æterno determinauit, ſemper liber eſt, & ſemper erit.*

Ex hac, inquam, nuperi Theologi tam inſolenti doctrina, ſuperiori argumento nouum robur accedit. Nam ſi peccatum illud neceſſarium idcirco puniri poteſt; quia ex Adami peccato libertatem atque adeo malitiam trahit, in ijs profectò puniri non poterit, quibus Adami culpa eſt condonata. Quemadmodum homicidium ab ebrio commiſſum, quia non aliam libertatem habet, quàm quæ à voluntaria ebrietate in illud refunditur, puniri æternis ſupplicijs à Deo non poteſt, ſi ab eodem quidquid erat in voluntaria ebrietate criminis remiſſum ſit. Hinc eſt quod S. Auguſtinus affirmat libro 22. contra Fauſtum cap. 44. Et S. Thomas 2. 2. quæſt. 150. art. 4. *Lothum eſſe culpandum, non quantùm meretur inceſtus, ſed quantùm meretur ebrietas;* Quibus ex verbis Bellarminus colligit Libro 2. de gratia & libero arbitrio cap. 7. peccata infidelium, ſi ex originalis iniuſtitiæ vulneribus neceſſariò profluunt, vt Caluinus arbitratur, non aliam promereri pœnam, quàm quæ originali debetur: quemadmodum inceſtus ex ebrietate commiſſus, non aliâ, quàm voluntariæ ebrietatis pœnâ à Deo vindicatur.

SECTIO IV.

Noua argumenta ex arcanis nuperæ Doctrinæ placitis acceрſita, quibus eadem ſúſque déque euertitur.

PArum eſt noui dogmatis arcem aſcitis aliunde argumentis, ſic tanquam externis copiis obſidere: armanda eſt ipſa in ſe ſe, & ciuili partium ſuarum diſſenſione debellanda. Habet enim illud error omnis, vt non

ita & eius reuelatio à libera Dei voluntate pendet. Iiſdem gradibus ad rem noſtram deſcendo. Potuit lex poſitiua non eſſe in ſtatu Innocentiæ; igitur potuit gratia ad obſeruandam legem poſitiuam neceſſaria non dari in ſtatu Innocentiæ: Non eſt autem pœna peccati carere eâ gratiâ, quæ potuit homini in ſtatu naturæ integræ non dari; igitur non eſt pœna peccati carere gratiâ ad obſeruandam legem poſitiuam neceſſariâ. At, qui caret gratiâ ad obſeruandam legem aliquam neceſſariâ, excuſatur à peccato, ſi non caret in pœnam peccati; igitur qui caret gratiâ ad obſeruandam legem poſitiuam neceſſariâ excuſatur à peccato.

Vim huius argumenti faciliùs intelliges, ſi illuſtri exemplo illigata proponatur. Infideles ſpectemus nec dum vlla Euangelij luce perfuſos: ponamus quoque eos inuincibili iuris naturalis ignorantia laborare. De ijs noua Theologia ita decernit: Peccare dum legem naturalem violant; quia legis illius inuincibilis ignorantia eos nõ excuſat, cum ſit pœna peccati: non peccare verò cõtra legem poſitiuam dum Euangelio non credunt; quia inuincibilis Euangelij ignorantia à peccato excuſat cùm non ſit pœna peccati. Sed ſi ad eos acceſſerint Euangelij præcones & vtriuſque ignorantiæ tenebras ita depulerint, vt nihilominus ex infidelitate & alijs peccatis non emergant: peto à nouo Doctore an ijs aliquid aſperſum gratiæ arbitretur. Docet quidem non donatos eſſe eâ gratiâ, quæ ad ſeruandam naturæ legem eſt neceſſaria, neque tamen idcirco excuſari à peccato, quia *carentia* illius gratiæ eſt pœna peccati. At de gratia ad credendum Euangelio neceſſaria, quid ſtatuet? An ijs oblatam fuiſſe, & eorum improbitate repulſam? Si ita affirmârit, cauſam vicimus: Ecce enim gratiam ſufficientem, ad implenda ſaltem iuris poſitiui præcepta hominibus conceſſam. An hanc quoque illis gratiam defuiſſe? Si ita eſt, non peccauerunt non credendo. Nam, vt priùs ignorantia Euangelij eos excuſabat; quia non erat pœna

peccati: ita nunc *carentia* gratiæ ad credendum Euangelio neceſſariæ eos excuſat; quia non magis eſt pœna peccati, quàm illa Euangelij ignorantia.

Simile argumentum peti poteſt ex fucata Vincentij ſolutione, quam adhibet vulgari Catholicorum argumento his à Paulo de Vindek verbis expreſſo pag. 158. *Qualis eſſet atrox tyrannis & horribilis Deo crudelitas, vt in eos ſtringat æternæ vindictæ aculeos, quibus ad legem implendam auxilio ſufficienti nūquam præſto eſſe voluit.* Sic enim reſpondet: *Deus immanis & crudelis non eſt, ſed valdè iuſtus, qui legibus homini ſano impoſitis, ſaucium,* & gratiâ ad eas implendas neceſſariâ deſtitutum, *premere non ceſſat, & rectè ambulare iubet.* Immanis ſaltem ex hac reſponſione erit Deus, ſi cùm lapſis hominibus nouas leges, eáſque difficiliores imponit, gratiam pariter non adiungat, quâ obſeruari poſſint.

Vincentius libro. 2. cap. 2. ſect. 3.

SECTIO V.

Fruſtra pugnat Vincentius ſoluendum nobis eſſe, quod de ſeruo fractis pedibus ambulare iuſſo objecimus.

TAndiu cum mutilato ſeruo luctaris, Vincenti, nec dum tamen ab eo te expediſti. Inſtat tibi vſque pertinax, & fractis licèt pedibus, quocunque ieris ſequitur, importunus aſſecla. Facis igitur callidè, qui eum committere nobiſcum niteris, cuius inuictum robur tuo damno expertus es. *Vt quid*, inquis, *apud mulierculas & ignaros, iſto ſerui mutilati pedibus exemplo, premere nos cogitaſti Ricarde? cùm in tua etiam Theologia ſub eodem onere laborare & gemere te oporteat? Nam & te, & omnes ſanæ mentis Theologos fateri nobiſcum oportet non omnibus omnino momentis quibus obdurati agere debent ſpiritum gratiæ ijs inſpirari.*

Quid ais, omnes ſanæ mentis Theologos id fateri

debere? Tibi ergo *ſanæ mentis* non ſunt Theologi omnes, qui hac ætate in Sorbona floruerunt? Sanæ mentis non eſt du-Vallius qui Tractatu de gratia ſufficienti q. 5. contrariam opinionem *omnino tenendam* docet. Amens eſt Gamachæus qui in 1. 2. quæſt. 111. cap. 15. illud ipſum acriter *aduerſus Caluinum* defendit. Sui non eſt compos Yſambertus qui Tractatu de gratia diſputat. 4. art. 8. ita ſcribit: *Licèt Deus non ſingulis momentis actu det adultis ſufficientia auxilia interna, quibus agant pænitentiam de peccatis, vel bonum aliquod opus exerceant: dat tamen eis ſufficientem gratiam, quotieſcunque occurrit aliquod præceptum obſeruandum, vel quædam tentatio ſuperanda.* Quod vbi pluribus Sacræ ſcripturæ Patrúmque teſtimonijs euicit, hac etiam ratione probat: *Deus neminem obligat ad impoſsibile: ſed ſi, quæ præcipit, noſtras excedant vires, porrigit auxilium, quo illa præſtare poſsimus, ex Tridentino Seſsione 6. cap. 11. Ergo quando occurrit præceptum ſeruandum, vel tentatio ſuperanda, dat auxilium ſufficiens ad illud ſeruandum, vel ad ſuperandam tentationem.* Quæ articulo 6. induratis accommodat: *Quilibet induratus*, inquit, *poteſt mereri & demereri; igitur habet auxilium ſufficiens gratiæ.* Atque hanc opinionem ſuam omnium ferè Theologorum eſſe ait, & ab vno tantùm Ariminenſi oppugnari. Quamobrem non eſt quòd in ijs appellandis tempus abſumam, quos tuâ illâ temerariâ cenſurâ *ſanæ mentis Theologos* negas.

Vnum profero Ioannem Wigers tuum olim collegam, & maximis à te laudibus exornatum: cuius verbis opinionem meam expono, vt amiciſſimi quondam capitis commendatione tibi placeat. Sic ergo ad quæſt. 111. 1. 2. art. 3. num. 8. controuerſiam hanc diſceptat. *Deus paratum ſe exhibet ad auxiliandum homini, & aliquod auxilium præſtat, quotieſcunque alicuius præcepti obligatio ei occurrit, ſic vt in hominis ſit poteſtate, quamuis non ſemper proximè, tamen mediatè ſiue remotè, eius tranſgreſsionem, quæ mortalis eſſet, vitare. Dico, quamuis non proximè, ſal-*

tem remotè, quia hoc omnino fateri oportet, hominem non ſemper actu inſtructum eſſe tantis viribus, vt per eas ſolas non accedentibus nouis, poßit implere quæcunque præcepta occurrentia, & quaſuis ſuperare tentationes & difficultates: ſed dicimus quòd ſaltem aliquid auxilij, vel Diuinæ aßiſtentiæ adſit, vt remotè ſaltem poßit quatenus ſcilicet per illud poteſt ad Deum tanquam auxiliatorem in tempore opportuno cum precibus & gemitibus confugere, & eius adiutorium implorare. Quam opinionem disertè tradi putat his Concilij Tridentini verbis ſeſſ. 6. cap. 11, *Deus impoßibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poßis, & petere quod non poßis, & adiuuat vt poßis*, & his S. Auguſtini libro de gratia & libero arbitrio cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt, non iuberet Deus, quod ſciret ab homine non poſſe fieri: quis autem hoc neſciat? ſed ideo iubet aliqua quæ non poſſumus, vt nouerimus quid ab illo petare debeamus.* Quem in locum ingeniosè Wigers obſeruat: *Auguſtinum ſupponere, quod licèt non ſimus ſemper ſatis fortes, vt per præſens auxilium præcepta ſeruemus, tamen in noſtra eſſe poteſtate ad Deum confugere, & vlteriores vires impetrare: alioquin nihil ad oppoſitionem Pelagianorum videretur reſpondere.* Tum rationem adhibet à Gamachæo, du-Vallio, Yſamberto, aliiſque ferè omnibus vſurpatam. *Probatur*, inquit, *ratione; quia ſi homo ita ſit deſtitutus, vt nec ſufficientes vires habeat, neque impetrare, aut habere poßit ad præcepti obſeruationem, non manebit liber vſus arbitrij circa eius tranſgreßionem.* Et ex Auguſtino confirmat lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Quis peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt?* Et capite 19. *non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras, &c.*

Hæc eſt *mea Theologia* Vincenti, immo & quondam tua, antequam periculoſæ nouitatis aura te afflaret: quæ vel explicata breuiter falſitatis conuincit, quod tuus ille titulus vaniſſimè pollicetur, *Ricardus nodum, quem de ſeruo confractis pedibus ambulare iuſſo nectit, in ſua etiam*

Theologia ſoluere debet. Quæſo te, huius inſcriptionis fidem libera: oſtende ex *mea Theologia* conſequi, quod in tua ferendum non puto: *eum damnari, cui non fuit poteſtas iuſſa complere.* Hoc ſi probaueris, fatebor mihi tecum illud eſſe commune, quod S. Auguſtinus ait lib. de duabus animabus cap. 12. affirmare *peccati reum teneri aliquem, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ.*

Probare iſtud aggrederis ex *cæcitate intellectûs*, ſeu *ignorantia* & *duritie voluntatis*. Ac primò, vt oſtendas falſum eſſe quod profiteor, ignorantiam, quam *inuincibilem* vocant, excuſare à peccato, pugnas hinc ſequi *Apoſtolum Paulum perſequendo Eccleſiam non peccaſſe, non enim filiũ Dei eſſe Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ didicerat:* ſed vt ipſe teſtatur 1. ad Tim. 1. *ignorans fecit in incredulitate ſua:* atque vbi tum ex ipſo S. Paulo, tum ex S. Auguſtino probaſti *blaſphemum illum fuiſſe, & contumelioſum, & ſummo ſupplicio dignum*, ita me compellas: *Ediſſere nobis Ricarde quomodo iſta vera, & ſummo ſupplicio Saulus dignus fuerit ſecundùm tuam Theologiam.* Tuam ego cæcitatem miror Vincenti, qui me illo argumento impetis, quod nihil opinioni noſtræ, plurimùm verò tuæ incommodat. Quam enim Sauli ignorantiam fuiſſe putas? *Vincibilem*, an *inuincibilem?* Si *Vincibilis* fuit, vt ego arbitror, & alibi demonſtraui, vana eſt tua hæc argumentatio, nihil enim inter nos de *vincibili* ignorantia controuerſiæ, quam à peccato non excuſare vtrique profitemur: Si verò *inuincibilis*, quod quidem pro explorato ſumere videris, perinde ac Præceptor tuus, qui vt probet ignorantiam *inuincibilem* non excuſare, ea S. Auguſtini teſtimonia vſurpat, in quibus de Sauli ignorantia eſt ſermo: ſi, inquam, inuincibilis Sauli ignorantia fuit, *ediſſere nobis quo modo Saulus ſummo ſupplicio dignus fuerit ſecundùm tuam Theologiam*, quæ decernit, *ignorantiam inuincibilem excuſare à peccato cùm iuris eſt poſitiui, aut facti*, cuiuſmodi Sauli ignorantia fuit, quã

Diſput. noſtræ libro 2. cap. 2. ſect. 3. §. 8.

filium Dei fuiſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum neſciebat. Sic te ipſum implicas magis ac magis, dum me iiſdem irretire difficultatibus conaris.

Validiora non ſunt argumenta, quæ ex *voluntatis duritie* repetis: Neque enim, vti fingis, affirmamus eos omni gratia ſpoliari, qui ad flagitia obdurueruut: ſed *parciori* ſaltem illâ, & *occultiori* aſpergi, quam S. Proſper lib. 2. de Vocatione gentium cap. 15. ait *adhibitam ſemper eſſe vniuerſis hominibus*. Nam teſte S. Auguſtino lib. 1. de Geneſi contra Manich. cap. 3. & libro 1. Retractationum cap. 10. *Omnes poſſunt ad præcepta ſeruanda ſe conuertere, ſi velint; quia illud lumen* (gratiæ) *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et libro 50. homiliarum hom. 12. *Cùm per Dei adiutorium in poteſtate tua ſit, vtrum conſentias Diabolo: quare non magis Deo, quàm ipſi obtemperare deliberas? Si enim ſolus Diabolus daret conſilium, & Deus taceret, haberes quo excuſari poſſes: cùm verò Chriſtus tibi conſcientiâ tuâ contradicat, quare eligis mortem, & deſeris vitam: & magis vis ſequi Diabolum ad luxuriam, quàm obtemperare Chriſto, qui te inuitat ad vitam æternam*. Qui profligatum peccatorem ſic alloquitur, non dubitat profectò eum afflari aliquâ gratiâ, quâ temperare à peccato poſſit. De alijs quoque perditiſſimis ait in Enchiridio cap. 95. *nec proinde Deus eos iniuſtè noluit ſaluos fieri, cùm poſſent ſalui eſſe, ſi vellent*. Et libro 3. de Libero arbitrio cap. 19. negat hominem excuſari à peccato, quia Deus *auerſum vocat, docet credentem, conſolatur ſperantem, diligentem exhortatur, conantem adiuuat, exaudit deprecantem*: adeóque, vt loquitur S. Leo Sermone 16. de Paſſione, *iuſtè inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio*. Quibus verbis, vt monet Ioannes Wigers loco ſuperiùs citato, *contrario ſenſu indicat, quod minus iuſtè inſtaret, ſi non præberet auxilium*.

Quamuis autem qui ad vitia occalluit, validiori ſæpe auxilio careat, quod ad legem proximè implendam requiritur, *hoc tamen quoque accipiet*, S. Auguſtini verba

ſunt libro 3. de libero arbitrio cap. 22. *ſi hoc quod accepit, bene vſus fuerit. Accepit autem, vt piè & diligenter quærat, ſi volet.* Hoc illud eſt quod Ioannes Wigers ſuperiùs obſeruabat: *Auguſtinum ſupponere, quòd licèt non ſimus ſemper ſatis fortes, vt per præſens auxilium præcepta ſeruemus, tamen in noſtra eſſe poteſtate ad Deum confugere, & vlteriores vires impetrare.* Et ſanè quid aliud innuunt hæc eius verba? Libro de perfectione Iuſtitiæ cap. 10. *Nec aliam ob cauſam ſcriptura commemorat non eſſe grauia diuina præcepta, niſi vt anima, quæ illa grauia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta, qualia commendantur, leuia ſcilicet atque ſuauia; & oret gemitu voluntatis vt impetret donũ facultatis.* Et paulò pòſt: *Nec tamen cum ea grauia ſentit, deſperando frangatur, ſed ad quærendum, petendum, pulſandúmque cogatur.* Quid iſta? Ex libro de natura & gratia cap. 69. *Eo ipſo quod firmiſſimè creditur, Deum iuſtum & bonum impoſſibilia non poſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Quid denique, quod eodem libro cap. 22. docet? *præuaricatorem legis, quem dignè lux deſerit veritatis, admoneri implorare gratiam ſaluatoris.* Quid aliud, inquam, hæc innuunt, quàm hominem quemlibet *accepiſſe vt piè & diligenter quærat, ſi volet.*

Duplicem illam gratiam, quarum altera omnibus impenditur, altera ſubtrahitur plurimis, acutè diſtinxit fidiſſimus S. Auguſtini diſcipulus & interpres S. Proſper toto ſparſim opere de Vocatione gentium: ex quo pauca ſunt libanda, quibus explicata hactenus doctrina illuſtretur. Libro 2. cap. 23. priorem illam gratiam vocat *generalem, parciùs & occultiùs omnium hominum corda pulſantem:* poſteriorem verò, *ſpecialem,* quæ *excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute exeritur.* Quid verò de vtraque gratia ſtatuerit, ſummatim complectitur eodem libro cap. 31. *Elaboratum eſt, quantum Dominus adiuuit, vt non ſolùm in nouiſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retro ſæculis probaretur gratiam Dei omnibus ho-*

minibus adfuiſſe, prouidentiâ quidem pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere diuerſáque menſurâ: quoniã ſiue occultè, ſiue manifeſtè, ipſe eſt (vt Apoſtolus ait) ſaluator omnium hominũ, maximè fidelium. Quæ ſententia ſubtiliſsimæ breuitatis, & validiſsimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc (de qua egimus) controuerſiam dirimit. Dicendo enim: Qui eſt Saluator omnium hominum, confirmauit bonitatem Dei ſuper vniuerſos homines eſſe generalem. Adÿciendo autem: Maximè fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei diuinitus inſpiratæ, ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficÿs prouehatur.

Atque vt intelligas quàm certum Proſper putauerit, adultis omnibus gratiam inſpirari, quâ ſi bene vterentur ſalutem conſequi poſſent, audi quid de paruulis doceat c. 23. *Cùm quærimus: Quomodo omnes homines ſaluos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ ſint capaces? Non irreligioſè arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper vniuerſis eſt impenſa nationibus: quâ vtique ſi bene eorum vterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem iuuarentur. Omnium namque exordia paruulorum, totáque illa principia neçdum rationalis infantiæ, ſub arbitrio iacent voluntatis alienæ, nec vllo modo eis, niſi per alios conſuli poteſt.* &c. *Sicut autem circa maiores præter illam generalem gratiam parciùs atque occultiùs omnium corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exeritur; ita etiam circa innumeros paruulos eadem manifeſtatur electio. Quæ quidem nec illis, qui renati non ſunt, in parentibus defuit, ſed ÿs qui renati ſunt per parentes affuit.* Adeo timet Proſper ne cui homini deſit gratia, quâ poſſit ſalutem conſequi, vt pro paruulis ſine baptiſmo obeuntibus aliquam etiam aſſignet, quâ ſi vterentur eorum parentes per eoſdem ipſi iuuarentur.

Quibus verò modis ſpargatur generalis illa gratia, & cur à multis repudiata ab alijs admittatur, ſic explicat cap. 26. *Gratia quidem Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter praeminet, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, córque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidijs, vt diuino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudiũ, de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione, ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos ſiue occultos, ſiue manifeſtos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur ipſorum eſt nequitia: quod autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt Diuinæ & voluntatis humanæ.* Docet Proſper internam illam gratiam, *quæ in omnibus iuſtificationibus principaliter praeminet*, cuius *opitulationi* debemus, *ſi proficimus*, ſic *omnibus adhiberi*, vt *à multis refutetur*. Quid ad opinionem noſtram confirmandam clarius, quid illuſtrius dici potuit?

Non eſt quod in pluribus Sanctorum Patrum teſtimoniis colligendis immorer, Lectorem tantùm rogo vt Doctores Catholicos conſulat, de illa ipſa quæſtione cum Caluino digladiantes, atque imprimis Franciſcum Horantium illa Caluini verba: *Phreneticos nihil moror, qui gratiam pariter, & promiſcuè expoſitam eſſe garriunt*, pro eo ac merentur caſtigantem Libro 1. cap. 52. cui titulum fecit: *Secundum, quod Caluinus in doctrina illa minùs probat, eſt, quòd diuina gratia omnibus ſit expoſita quæ res ex Auguſtino apertè vera eſſe conuincitur.* Et Paulum de Windec Libro de efficacia mortis Chriſti contra Caluiniſtas Claſſe 15. quam ita inſcribit: *Deum neminem mortalium gratiâ ad ſalutem neceſſariâ deſerere.* Quam claudit ratione petita ex Angelis cuſtodibus, qui perditiſſimum quemque, atque adeo infideles ipſos *incitant & ſtimulant ad ſalutem.* Quod argumentum, inquit, *ne cachinnis*

excipiant moroſi Caluiniſtæ eius robur ſepiam auctoritate D. Dionyſij qui cap. 9. Cæleſtis Hierarchiæ nominatim ita inquit: vna illa altiſsimi in cunctis prouidentia mortales omnes in ſalutem Angelorum ſuorum ductibus ad ſe prouehendos diſtribuit, & Origenes Homilia 20. in Numeros in eandem ſententiam ſcribit.

SECTIO VI.

Quid de illa quæſtione ſanctus Thomas ſentiat.

RIxatur tamen Vincentius & S. Thomam appellat Cuius teſtimonia duo inſigniter deprauata vbi protulit, multa nobis exprobrat, ſibíque victoriam gratulatur. Sed præſtigiatorum eſt hæc indoles: triumphant cùm victi ſunt, & cauſæ ſuæ vulnera ſic illinunt fuco, vt ſplendeant. Quàm id ambitioſè Vincentius hîc fecerit paucis oſtendam, cùm S. Thomæ opinionem accuratiùs expoſuero.

Libro 9. contra gentiles cap. 159. illam ipſam, quam agitamus, quæſtionem ventilat, docétque: *quòd rationabiliter homini imputatur, ſi ad Deum non conuertatur, quamuis hoc ſine gratia non poſsit.* Neque verò, vti Vincentius, huius rei rationem inde repetit, quòd in pœnam originalis peccati gratiâ ſpoliemur, ſed quòd in poteſtate noſtra ſit eam accipere. *Cùm hoc ſit*, inquit, *in poteſtate liberi arbitrij impedire Diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentũ præſtat gratiæ receptioni; Deus enim quãtum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt dicitur 1. ad Tim. 2. Sed illi ſoli gratiâ priuantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut Sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licet videre non poſsit niſi lumine*

Solis præueniatur. Non potuit clariùs ſecundum nos pronuntiare.

Eadem inculcat Lectione 3. in caput 12. Epiſtolæ ad Hebræos: *Gratia*, inquit, *etſi non habetur ex meritis, alioquin gratia non eſſet gratia, tamen oportet quòd homo faciat quod in ſe eſt. Deus autem voluntate ſua liberaliſſima dat eam omni præparanti ſe: Apocalypſis 3. Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, 1. Tim 2. Qui vult omnes homines ſaluos fieri. Et ideo gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantum in ſe eſt, ſe communicat: ſicut nec Sol deeſt oculis cæcis. Sed contra: quia ſi gratia non datur ex operibus, ſed tamen ex hoc quòd aliquis non ponit obſtaculum; ergo habere gratiam dependet ex ſolo libero arbitrio, & non ex electione Dei, qui eſt error Pelagij. Reſpondeo: Dicendum eſt, quòd hoc ipſum quòd aliquis non ponit obſtaculum, ex gratia procedit.*

Vides duplicem à S. Thoma gratiam agnoſci: abundantiorem aliam, quæ neceſſaria eſt, vt homo *ad Deum conuertatur:* aliam verò tenuiorem, cuius ope ſe ad alteram *præparare poteſt.* Prior multis hoc in ſtatu deeſt: *rationabiliter tamen imputatur homini,* eâ carenti, *ſi ad Deum non conuertatur. Quamuis*, enim *hoc ſine illa gratia non poſſit:* tamen eſt in eius poteſtate eam conſequi, cùm *Deus voluntate ſua liberaliſſima det eam omni præparanti ſe:* poſſit autem ad eam ſe præparare alterius gratiæ, quæ nulli deeſt, auxilio ſubnixus. Quo ſenſu vulgare illud effatum cum S. Thoma interpretamur: *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam.* Nam qui fecerit, quod *generali* gratia inſtructus poteſt, abundantiores accipiet alias, quibus gradatim ad fidem, tum etiam ad ſalutem aſſurgere poterit. Hinc fluxit celebris illa S. Thomæ ſententia ex lect. 3. in cap. 12. Epiſtolæ ad Romanos, quæ noui dogmatis fauces elidit. *Si qui eorum, ad quos fama Apoſtolicæ prædicationis non peruenit, feciſſent quod in ſe eſt, dominus eis ſecundùm ſuam miſericordiam prouidiſſet, mittendo eis prædicatorē fidei ſicut Petrum Cornelio. Actor.*

10. *Et Paulum Macedonibus, vt habetur Actorum 16. Sed tamen hoc ipſum quod aliqui faciunt quod in ſe eſt, conuertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt mouente corda ipſorum ad bonum.* Vnde Cardinalis Groperus expreſſit, quæ ſcribit in Enchir. Concilij Colonienſis de Pœnitentia: *Deum nulli homini gratiam præuenientem generalem ſubſtraxiſſe. Factum tamen vt gentes hanc gratiam Dei contemnentes, atque repudiantes:* aliam *ſpecialem* non acceperint, *ſed dimiſſæ ſint ingredi vias ſuas. Atque eadem omnino ratione fieri, vt non omnes iſtos motus gratiæ ſpecialis omnibus peccatoribus Deus impertiat. In cauſa eſt enim peccatoris obduratio, gratiam illam communem, ſeu generalem negligentis, atque repudiantis.*

Vincentius libro 2. cap. 8. ſect. 7.

Suum hîc forſan effugium Vincentius obtrudet, quod ſub finem operis alieno prorſus loco, credo vt lateret, inſeruit, pugnabitque S. Thomam, dum ait gratiam omnibus expoſitã, loqui tantùm de *gratia externa, quâ Deus benefacit de cælo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo, & lætitiâ corda noſtra, &c.* Sed nemo non videt accommodari iſtud non poſſe ad ſuperiora loca, cùm in iis ſermo ſit de gratia, quâ *ad Deum conuertimur:* quam Deus idcirco dat, quia *vult homines ſaluos fieri;* quam *Pelagius ex ſolo libero arbitrio ſuſpendebat,* quâ denique *corda noſtra Deus mouet ad bonum, dum conuertimur ad Deum.* Faceſſat igitur futilis illa interpretatio, quæ his adhiberi locis non poteſt, quin Vincentij deſperationem, & in corrumpenda S. Doctoris mente ſingularem audaciam prodat.

Explicata S. Thomæ opinione, quæ ex eodem Vincentius opponit, & in quibus inaniſſimè triumphat, enodare promptum eſt. Ait S. Thomam docere 2.2. quæſt. 2. art. 5. *quibuſdam gratiam non dari in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis.* Sed eo loci non eſt ſermo de gratia vniuerſali, quam nulli deeſſe contendit; at de ſpeciali tantùm: immo de ipſa propriè *fidei prædicatione* quam plurimis in peccati pœnam negari vltro profitemur.

Locum integrum hîc repræſento. Articuli, ex quo ſumitur, hæc inſcriptio: *Vtrum homo teneatur ad credendum aliquid explicitè.* Concluſionis verò hæc ſumma: *Quantùm ad prima credibilia, quæ ſunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, ſicut & tenetur habere fidem.* Contra tamen obijcitur: *Nullus tenetur ad id quod non eſt in eius poteſtate ſed credere aliquid explicitè non eſt in hominis poteſtate. Dicitur enim Roma. 10. Quomodo credent in illum, quem non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante? Quomodo autem prædicabunt niſi mittantur! Ergo credere aliquid explicitè homo non tenetur.* Hanc obiectionem callidè prætermiſit Vincentius, quòd reſponſioni, quâ abutitur, lucem afferat. Sic habet: *Dicendum, quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia reparante; ſicut ad diligendum Deum, & proximum; & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ; quod auxilium quibuſcunque diuinitus datur, miſericorditer datur, quibus autẽ non datur ex iuſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis peccati; vt Auguſtinus dicit in libro de Correp.* Quare ſtat poſita concluſio: *Hominem teneri ad credendum aliquid explicitè:* nec illa objectione infringitur: *Quomodo credent ſine prædicante?*

Hinc conſtat agi propriè de ipſa *prædicatione fidei*, quæ multis in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis negatur: quibus tamen S. Doctor vniuerſalem gratiam concedi vult, qua ſe poſſint ad fidem præparare. Vnde q. 14. de Veritate art. 9. qui itidem inſcribitur *Vtrum ſit neceſſarium aliquid explicitè credere*, ita ſcribit: *Quamuis non ſit in poteſtate noſtra cognoſcere ea, quæ ſunt fidei, ex nobis ipſis: tamen ſi nos fecerimus quod in nobis eſt, vt ſcilicet ductum naturalis rationis ſequamur* (quod ex Dei mouentis auxilio fieri ſuperiùs monuit) *Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis eſt neceſſarium* &c. *Si enim aliquis nutritus in ſyluis, ductum naturalis rationis ſequeretur in ap-*

petitu boni, & fugâ mali, certiſſimè eſt tenendum, quod ei Deus vel per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium Act. 10.

Vincentius ibidem ſect. 6. & 7.

Aliud S. Doctoris teſtimonium Vincentius oſtentat, ſed truncatum fœdè atque mutilatum. *Docet,* inquit, *S. Thomas quæſtione 16. de Potentia artic. 5. Diabolum teneri conuerti ad Deum, quamuis hoc ei ſit impoſſibile ſecundùm præſentem ſtatũ; quia in hũc ſtatum ex voluntaria cauſa deuenit.* Eadem Vincentius repetit Sectione ſequenti, ac mihi poſtea triumphabundus ſic inſultat: *Hunc ergo Magiſtrum tuum crudelitatis in Dæmones, ſi audes, accerſe.* Non faciam Vincenti; ſed de tua in proferendis Sanctorum Patrum teſtimonijs infidelitate apud te ipſum expoſtulabo. Petitur locus ille, non ex quæſtionibus de Potentia; at ex quæſt. 16. de Malo art. 5. vbi S. Doctor ad 11. ait *quòd ſicut ebrius tenetur non peccare, non quidem conſiderato præſenti ſtatu: ſed conſideratâ ebrietatis voluntariâ cauſâ, ſecundùm quam imputatur ei aliquid ad culpam: ita etiam poteſt intelligi quòd Diabolus tenetur conuerti ad Deum: quamuis hoc ei ſit impoſſibile ſecundùm præſentem ſtatum; quia in hunc ſtatum ex voluntaria cauſa deuenit.*

En integrum S. Thomæ locum, quem corrupiſti ſuppreſſa ebrij comparatione, quæ S. Doctoris mentem perſpicuè explicat. Neque enim, vti fingis, ait *Diabolum teneri conuerti ad Deum:* Nam hæc verba innuerent nouum eſſe peccatum, quòd non conuertitur: ſed tantùm, *poſſe intelligi quòd Diabolus tenetur conuerti ad Deum, ſicut ebrius tenetur non peccare.* Quo autem ſenſu tenetur ebrius non peccare? Non eo ſanè, de quo hîc diſceptamus, ita vt diſtinctum à voluntaria ebrietate peccatum committat, cùm ſui non compos aliquem interficit: ſed hoc tantùm vno, quod ebrietatem cauere debuit. Igitur nec alio ſenſu Diabolus tenetur ad Deum conuerti, quàm quia non debuit à Deo deficere. Atque vt inceſtus Loth, ex S. Thoma 2. 2. quæſt 150. art. 4. diſtinctam non

habet à voluntaria eius ebrietate malitiam: ita Diaboli *non-conuerſio*, diſtinctum non eſt à prima eius defectione peccatum: adeóque hoc præcisè remiſſo, puniri illa non poſſet.

Ita locus ille, quem mihi infenſiſſimum iactabas, mirificè confirmat quod hactenus demonſtraui, nouæ opinionis Principem hallucinari turpiter, dum contendit, hominem ſacro fonte tinctum iuſtè damnari poſſe ob ea peccata, quæ ex relictis originalis iniuſtitiæ vulneribus, eâdem neceſſitate fluerent, quâ Dei amor ex clara eius viſione naſcitur.

CAPVT IX.

Reliqua Vincentiani operis vitia indicantur.

SENTIO libellum hunc vltra quàm ſtatueram, pene ſub manum excreſcere: & dum Vincentianis erratis modus eſt nullus; nullum quoque animaduerſionibus meis futurum, niſi vel operæ meæ, vel hominis pudori vtcunque parcam. Reprehenſionis finem ipſa errorum infinitas imperat. Non incuſabit acerbitatem in caſtigando meam, qui paratam ab ipſo ſegetem obiurgationum immenſam reliquerim. Ne tamen ſit ignotus omnino Vincentius, vel ſibi, ſi ſe amare pergit; vel tibi, Lector, ſi eius librum, vt meretur, incurioſiùs legeris: de multis pauca ſeligo, quæ quia deſcribere pleniùs & explicare non vacat, hic quaſi in cumulum collecta ſubijcio.

SECTIO I.

Vincentij conuicia.

HOminis eſt parum pudentis, quorum ſit flagitiorum conuictus, ea falsò cuipiam affingere. Et hæc

tamen eſt, quod mirere, Vincentij indoles: qui cùm ſit vltra modum omnem conuiciando progreſſus, immerenti mihi maledicentiæ dicam impingit: quaſi liberaret ſe ſe huius inuidiâ criminis, ſi eam in me deriuaret, perſuaderetque Lectoribus me *conuicia non manu, ſed plauſtro toto ſpargere.*

Vincentius in Præfatione bri 1.

Quid æſtuas Vincenti? quæ mea conuicia, quæ maledicta ſunt? Appellatos vos à me *damnatæ opinionis inſtauratores* conquereris: hæccine contumelia eſt? Contumelioſus ergo fuit Vrbanus VIII. qui in ſua illa, quam toties adulterinam clamitaſtis, bullâ, ita loquitur, *Librúmque prædictum, cui titulus eſt Auguſtinus, articulos, opiniones, & ſententias in dictis Conſtitutionibus reprobatas, atque damnatas, vt à nobis compertum eſt, continentem & renouantem,* &c. Cõtumelioſus Innocẽtius X. qui hanc deceſſoris ſui Conſtitutionem altero diplomate confirmauit. Vtrumque, ſi me audis, poſtulabis iniuriarum, & maledicentiæ reum facies mi Vincenti.

Quid deinde iactum eſt in vos conuicij? Doctrinæ veſtræ *fundamenta, conſectaria, effugia, calumnias, ex recentioribus Hæreticis Wiclefo, Luthero, Caluino, Bucero, Chemnitio, Melanchthone, Petro Martyre, Paræo, Hieronymo Zanchio, Petro du Moulin, Chamiero, Dordrechtana Synodo hauſta eſſe.* Hæc ſunt quæ plauſtra conuiciorum appellas: hæ contumeliæ acerbiores, quas concoquere lenitas tua non poteſt. Debueras tamen meminiſſe Tullianum illud: *Aliud eſt maledicere, aliud accuſare.* Si furem in flagranti delicto deprehenſum furti accuſem: an videbor conuiciator maledicus, an prudens accuſator? Poſitum eſt maledictum in probroſo ſcommate rationibus deſtituto: argumentis legitima accuſatio nititur. Cùm nos ſignifer tuus Pelagianos appellauit, cùm ijs in nos telis vſus eſt, quibus Tridentinam Synodum Caluinus, Chemnitius, Hæreticíque alij petierunt: maledixit. Cùm eius furta prodidi; cùm verba verbis, ſententias ſententijs contuli; cùm ita conuici, vt nihil reſpondere

reſpondere potueris, iure optimo accuſaui.

Illud verò ex omnibus vnum ægerrimè tuliſti, quòd dixerim Magiſtri tui libro ſimilem *à quolibet, qui Auguſtinum nunquam viderit, modo familiares habeat Hæreticorum libros, concinnari poſſe*. Hoc à me, Vincenti, dictum eſt; ſed & probatum conuictúmque. Oſtende in fulgurito illo volumine quempiam Auguſtini locum, qui quidem momenti ſit alicuius, & ad earum rerum, de quibus eſt inter nos contentio, cardinem ſummámque pertineat: oſtende huiuſmodi vocem vllam, quam Caluinus, Lutherus, gregaléſque cæteri eandem in partem non traxerint.

Aliud eſt caput ex quo conuiciatoris nomen mereri tibi videor; quòd aſſeruerim, *Deum à vobis crudelem, immanem, & perfidum fieri*. Habeo grandis huius conuicij non tam participes, quàm auctores, Catholicos omnes, qui ſtylum Eccleſiæ ſuum aduersùs Caluini perfidiam commodarunt; à quibus illud ipſum quod vobis obieci, pronuntiatum, probatum, Auguſtini teſtimoniis confectum eſt: barbarum fore Deum, & tyranno quouis immaniorem, ſi vel in hoc lapſæ naturæ ſtatu, quidquam hominibus impoſſibile præciperet. Hoc ſi conuiciari eſt; quidquid eſt in Eccleſiæ doctrina maximè ſincerum hac labe afflabitur. Tum conuiciabatur Myſtagogus tuus; cùm in ſententiam Catholicorum in ſcholis communem & peruagatam his vocibus inuehebatur. *Si iſta doctrina de Deo vera eſt, alius ab Auguſtino & antiquitate cultus eſt Deus, quàm iſti colunt: ſin falſa, miſerabili errore, vt nihil deterius dicam, populus Chriſtianus per iſta doctrinarum portenta deluditur*. Hoc demum maledicere eſt. (Nouus Doctor lib. 3. de ſtatu puræ naturæ cap. 3.)

Aliud eſt quod à te clamores expreſſit: vlcus nimirum tetigi, cùm dixi aliquos veſtrum: *Contra Concilij Tridentini auctoritatem clam muſſitare*. Hoc ſemel expoſtulaſſe non ſatis eſt viſum. Iterum idem vulnus retractas, & calumniam hanc tuas in partes maximam eſſe conquereris. Sed in hoc parum gratus es, qui non agnoſcas, quid

vobis hac in parte moderatione mea pepercerim. Debebit hoc veritas iniquiſſimæ tuæ expoſtulationi, vt quod tunc verbo vno quaſi obiter attigeram, id pleniùs modò & diſertiùs explicem. Noſti Abbatem Sancyranum? Certè: ſi non eſt omnino ignota tibi ſecta tua, cuius ille caput alterum fuit: habebat enim illa verè quod Eccleſiæ nuper Symmyſtæ veſtri falsò tribuebant, vertices duos ex quibus vnicus exiſtebat. Is, quid de Tridentina Synodo ſentiebat? Dic, amabo, Vincenti. Fateri non vis? At certè non tacebunt legitima & iuridica inſtrumenta quæſtionis in eum auctoritate Regia decretæ & factæ anno 1638. quæ quamuis iam in lucem edita prodierint non pigebit tamen decerptum ex ijs fragmentum, quod præſentem ad cauſam pertinet adſcribere. Interrogatus à iudice & iureiurando adactus Reuerendus Pater Dom. Ioannes Iouaud Religioſus profeſſus ex Ciſtercienſi ordine Abbas de Precibus in Armorica, Reſpondit: *Cùm obijceretur à ſe quiddam Abbati Sancyrano, quod è Tridentino Concilio petitum erat, prædictum Sancyranum quæſijſſe an ſtaret à Concilio Tridentino, & moto capite addidiſſe, ſtare ipſum à Papa, ſi à Concilio Tridentino ſtaret. Ad hæc cùm ipſe retuliſſet, ſe ab vtroque ſtare, Sancyranum diſceſſiſſe. Cùm verò in congreſſione altera reuocata eſſet Tridentini mentio, ſe à Sancyrano quæſijſſe, annon Concilium illud in Oecumenicorum numero cenſeret; hunc verò non præcisè reſpondiſſe; ſed repoſuiſſe hoc vnum, fuiſſe illam Synodum à Papa & Scholaſticis fabricatam, à quibus de ſincera Eccleſiæ doctrina plurimum immutatum eſſet*, &c. Hoc, mi Vincenti, maledicere, hoc calumniari, hoc conuiciari eſt: neque nouitiam in ſectam, ſed in Eccleſiæ dignitatem maieſtatemque debacchari. Hoc tuis putas fas eſſe veluti primatum quemdam in conuiciandi arte obtinentibus, & dudum emeritis: ego ſi, quod tantæ auctoritatis actis conſignatum eſt, quod iam eſt peruulgatum factúmque publici iuris; hoc ſi non pro eo ac merebamini agitauero vehementiùs, ſed attigero

ſtrictim, & quaſi per tranſennam reſpectauero, accuſandum & in nefandæ calumniæ loco ponendum putas?

Quòd nouam Libertinorum nationem appellaui veſtram; nonne, vt cætera taceam, hoc decuit eam appellari nomine, quæ poſt auctoris ſui obitum, te LIBERTVM principem vnum habuit. Quòd *peritos calũniarum architectos* dixi; lapſus ſum, fateor; fures debui dicere: cùm inſigniores calumniæ, quas in Concilium Tridentinum Hæretici commenti ſunt, expilatæ à vobis pudendo latrocinio, & in nos inſtructæ fuerint. Hoc qui tam euidenter probauerim, vt refutari poſſe deſperaueris, egi certè vobiſcum leniùs & mitioris huius appellationis gratiam aliquam ferre debui.

Offenderis tamen hac moderatione meâ: deſideras in nobis *ciuilitatem ſaltem, quæ tam effuſos irarum & maledicentiæ impetus coercere debuiſſet.* O ciuilitas, quo demum res tuæ redierunt, ſi Patronum vnum Vincentium habes? Agè, mi Lenis, quando politulus es, & omni lepore lautioris vrbanitatis conditus, quando nomine ipſo comitatis laudem præte fers, *ciuilitatem* nos doce: doce quibus ſint verbis homines amicè & honorificè cõpellandi. An his, quibus nos ornas, *Non homines, ſed hominum monſtra ex Cannibalis, aut montibus Riphæis huc aduecta?* O elegantiam! ô blanditias! Felices amicos tuos, quos aſpergis hoc ſale vrbanitatis! honorificas ſalutationes, quæ hac titulorum pompâ ſplendeant! Quæ ſint apud vos humanitatis leges, quæ forma vitæ politioris, haud equidẽ noui: ſed hæc *ciuilitas* tua, ruſticorum hîc, & vltimæ fæcis hominum ſolet eſſe, qui nullâ re ſibi inuicẽ niſi maledictis pugnîſque blandiuntur. Quæ ſunt elogia, quibus nos honeſtat Vincentius? Appellat *gladiatores, ſcurras, ſophiſtas. Ixionas, feroces maſculos;* vbique *petulantiæ, ſuperbiæ, maledicentiæ* reos facit. Qui floſculi ſermonis! *Spumeâ linguâ depluunt, flammeâ irâ detonant, cõuicia toto plauſtro ſpargunt, Patrum Philoſophiã furijs aſſiliunt, ambulãt perpetuò in craſſa ignorantiæ nebula, delirant,*

hallucinantur, fumant, in Auguſtini doctrinam iratiſſimè deſpuunt. Quibus titulis doctrinam noſtram decorat? *Muſicam* indigitat *Philoſophiam* noſtram, *ex humanæ Philoſophiæ ſenticetis* petitam, *abſurdam, abſurdiſſimam.* Hæc eſt blanda hominis & mellita *ciuilitas*: cuius delicijs ornamentíſque deſcribendis omnibus, quæ opera noſtra ſufficeret? Ad extremum quia humanitate totus & ſuauitate condîtus eſt; cùm nobis parandum eſſe putet aliquid remedij, monet *vt bibamus poſthæc dilutiùs, & bilem expuamus candido helleboro.* Si vel ſanus vel ſobrius fuiſſes, Vincenti, temperantiùs eſſes locutus.

SECTIO II.

Vincentij calumniæ.

QVerebaris modò appellatum à me Principẽ tuum *calumniarum architectum*: Et iure queri videbaris; vix enim vllas marte procudit ſuo, omnes ferè à Caluino mutuatur. At tu profectò cauſam dicere non potes, quin hac appellatione dignus ſis, cùm nouas complures à te ipſo fabricatas in nos iaculeris. Inſigniores tantùm ſublego, ex quibus, ſic tanquam ex natiuis coloribus teipſum deſcribam.

Vincentius in Epilagô. Principem locum mereretur illa, quæ per ſingulas libelli tui partes funditur, quámque ſub operis finem rurſus ingeris in hæc verba: *Nonne falſum eſt quòd dicat* (de Antiſtite tuo loqueris) *libertatem ſoli coactioni propriæ, in qua patiens merè otiatur, repugnare.* Sed non eſt quòd hoc loco retractetur, cùm hac Reſponſione totâ & conuicta falſitatis, & pro merito caſtigata ſit.

Vincentius libro 2. cap. 8 ſect. 4. Agmen igitur ducat altera itidem palmaris, quâ vellicas quod ſcripſeram, ex noui Doctoris mente adiutorium hominis ſani delectationem voluntatis non complecti. *Illud*, inquis, *non ſolùm eſt falſum, ſed apertiſſimâ vanitate ridiculum. Iſte enim cum Præceptore ſuo Auguſtino*

diſertiſſimè docet, tam Adamo ſtanti, quàm Angelis opus fuiſſe etiam auxilio voluntatis, quo ipſa à centro naturalis amoris ſui, in quod omnis creatura propendet, verſus Creatorem & ſupernaturalis amoris centrum reflecteretur. Audes hæc ſcribere Vincenti? Audes inſignem adeo calumniam tam aperta infidelitate cumulare? Diſertiſſimè Princeps tuus id docuit? Vbi? quo operis ſui libro? quo capite? Quin eius verba deſcribis? quin locum ſaltem appellas, aut indicas ad marginem?

Vtinam tantum tibi ſit ab re tua otij (candide Lector) vt conſulas diſputationis meæ locum illum, quem hîc Vincentius carpit, & cum eius reſponſione componas. Ridebis cum indignatione cæcam hominis audaciam, & calumniandi libidinem. Clariſſima noui Doctoris verba profero ex libro 4. de Gratia Chriſti cap. 9. & 7. quibus docet, *neceſſitatem delectationis ad bene volendum ex infirmitate voluntatis, quæ per peccatum primi parentis in libidinum imperium præcipitata eſt: ſeu ex natura medicinæ, & medicinalis adiutorij petendam eſſe.* Moneo illud ipſum pluribus ab eo probari. Rationem addo, quam & ipſe capite illo 9. perſtringit, inde accerſitam, quòd ex eius mente gratia voluntatis ſanæ agendi neceſſitatem non imponat: imponeret autem perinde ac medicinalis, ſi delectationem volūtatis complecteretur. Vel enim illa delectatio victrix eſſet; vel à contraria vinceretur: ſi eſſet victrix, voluntatis conſenſum eliceret neceſſariò: ſi vinceretur, contraria delectatio pari neceſſitate voluntatem traheret. Contendit enim tum illo cap. 9. tum libro 8. de gratia Chriſti cap. 3. *Voluntatem ſecundùm id neceſſariò agere, quod magis eam delectat.*

Diſputationis noſtræ libro 2. cap. 4 ſect. 3. §. 1.

Hæc ſunt argumenta, quibus demonſtraui, adiutorium ſanæ voluntatis ex nuperi Dogmatiſtæ ſenſu delectationem cæleſtem non complecti. Quid ad hæc Vincentius? An illa Ducis ſui teſtimonia citari à me falsò? An alienum in ſenſum trahi? An ex alijs eius locis explicari? An poſtremum illud argumentum, quo res conſici

videtur, occulto quodam vitio laborare? Vincētium non nouit, qui hæc ab illo expectat. Id vociferatur vnum: *Falſum illud eſt & apertiſſima vanitate ridiculum.* At clariſſima ſunt, quæ protuli Doctoris tui verba: inuicta, quibus illud ipſum effeci; argumenta. Vt vt ſit, *falſum*, inquit, *illud eſt & apertiſſima vanitate ridiculum.* Enimuero, Vincenti, apertiſſima vanitate ridiculum eſt, quòd tibi præcisè neganti habendam potiùs fidem arbitraris, quàm clariſſimis Doctoris tui verbis & argumentis. Quantæ verò infidelitatis eſt, quod addis: *Illum diſertiſſimè docere* ſanæ voluntati opus fuiſſe delectatione cæleſti, *quâ ipſa à centro naturalis amoris ſui, in quod omnis creatura propendet, verſus Creatorem reflecteretur?* Tantùm abeſt ab illa opinione, vt libro de gratia primi hominis cap. 3. pugnaciſſimè contendat, eos Pelagio velificari, qui docent Angelos aut primum hominem naturali illo amore ſui, aut innato laudis appetitu fuiſſe tentatos. Immo *vniuerſos labores S. Auguſtini aduersùs Pelagianos ruere* clamat, ſi *ex innatis eiuſmodi appetitibus, aut vndecunque naſcentem, internam aut pugnandi aut vincendi neceſſitatem natura ante peccatum habuit.* Hoc eius caput lege, Vincenti, *Et neſcies*, verba tua ſunt elegantiſſima, *vbi ardentem pudore frontem abſcondere.*

Nobilior eſt hæc calumnia, quàm vt incomitata eſſe debeat. Duas illi adiungis vel comites, vel famulas. *Nonne*, inquis, *in capitali illo gratiæ ſtantis & lapſi hominis diſcrimine ex profeſſo à S. Auguſtini ſententia recedere ſe fatetur Ricardus? Nam teſtimonio libri* 14. *cap.* 13. *de Ciuitate clariſſimo, vt ipſe Ricardus ait, conſtat S. Auguſtini ſententiam eſſe, quòd adiutorium ſtantis hominis, non ſolùm illuſtrationem intellectûs, ſed etiam dilectionē quandam voluntatis complecteretur. Et tamen paulò pòſt contra iſtam S. Auguſtini clariſſimam doctrinam decernit magiſtraliter: Genuinum inter vtriuſque gratiæ adiutoria diſcrimen eſſe, quòd altera ſolius mentis illuſtrationem; altera delectationem cælitus immiſſam complectatur.* Nunquam hæc ſcri-

pſiſſes Vincenti, *niſi omnino deſperares* (S. Auguſt. verba ſunt calumniatorem tui ſimilem compellantis) *vtriuſque operis, & mei ſcilicet, & tui quemquam eſſe poſſe Lectorem, qui hanc fraudem deprehenderet*. Vel ipſa paragraphi illius, vnde hæc verba mea decerpis, inſcriptio criminationem tuam refellit. Sic enim concipitur: *Quo ſenſu gratia naturæ integræ ſit ſola intellectûs illuſtratio: gratia verò naturæ corruptæ motio voluntatis*. Quæ verò ad illud explicandum ibidem diſputo, tam manifeſtè fraudem hanc tuam reuincunt, vt qui illa legerit, nunquam tibi fidem, vel iuranti, ſit habiturus.

Doceo enim primò pugnare Antiſtitis tui opinionem cum S. Auguſtini ſententia; quia ſuis ille principijs ſtare non poteſt, quin neget Adamum præuia delectatione ad bene agendum fuiſſe pellectum; quod tamen S. Auguſtinus clariſſimè affirmat libro 14. de Ciuitate cap. 15. *Si voluntas* Adami *in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur vt videret, accendebatur vt amaret, &c.* Deinde ſtatuo tum Adamum, tum Angelos *ſuccenſione voluntatis & præuia delectatione* ad amorem Dei fuiſſe prouocatos. Tum demonſtro præuiam illam delectationem in nobis quidem nouam eſſe gratiam, in ijs verò non fuiſſe; quia ex voluntate ſanâ & ſupernaturalium virtutum habitibus inſtructâ neceſſariò profluit, cùm intellectûs ſupernaturali luce colluſtratur: at ex voluntate corrupta, etſi ſupernaturalium virtutum habitibus ijſdem, eadémque ſupernaturali luce ſit ornata, non emanat neceſſariò, ob domeſticam carnis corruptelam: adeóque peculiari & nouo beneficio cælitus infundi debet. Ex quibus colligo, quod ipſa inſcriptio pollicebatur; *quo ſenſu gratia naturæ integræ ſit ſola intellectûs illuſtratio: gratia verò naturæ corruptæ etiam motio voluntatis*. Nec erubeſcis, Vincenti, cùm hæc diſſimulas omnia, vt ex truncatis verbis meis calumniandi occaſionem ſumas.

Nihilo tolerabilior eſt tertia eiuſdem loci criminatio.

Ais me *ex profeſſo à S. Auguſtini ſententia recedere.* Atque vt id euincas: *Quid aliud*, inquit, *Ricardus agit, quando tam diligenter & operosè auctores quoſdam coaceruat, qui dicunt aut dubitant, S. Auguſtinum in pugna contra Pelagianos, nimio ardore veri limites tranſiiſſe.* Calumniaris. Longè alia mente, immo contrariâ prorſus id feci. Nam cùm ſtatuiſſem demonſtrare libro integro S. Auguſtinum damnatis ab Apoſtolica ſede opinionibus nihil ſuffragari, popularia quædam præiudicia refellenda mihi viſa ſunt, atque vulgare illud imprimis inde petitum, quòd multi doctrina inſignes viri, etſi à nouo dogmate abhorreant, S. Auguſtinum illi adiudicent. Aduersùs illud ſic excepi: *Sed iſtud aut nihil Aduerſarios iuuat, aut Caluinum quoque aduersùs Tridentinos Patres diſputantem ſubleuat. Iampridem enim ex Catholicis plurimi doctrinâ & pietate ſpectabiles, confeſsi ſunt S. Auguſtinum Pelagianiſmi odio, ita in contrariam partem inclinaſſe, vt perſæpe Caluino potiùs, quàm Tridentinis Patribus fauere videatur. Ita Gilbertus Genebrardus, Claudius de Xaintes, Hieronymus Oſorius*, &c. Tum vbi plures eiuſdem nominis ac famæ appellaui, Lectorem obteſtor, vt populari illo præiudicio, quod Caluino perinde ac nouo Doctori fauet, non moueatur, ſed iudicium ſaltem ſuſtineat aliquantulum, donec S. Auguſtini mentem accuratiùs mecum expenderit. Ac tandem ita concludo: *Hoc ſi pollicearis, erudite Lector, ſi nihil præiudicatæ opinionis affers, nec ſtatuiſti aduersùs apertam veritatem animum obfirmare, tibi ego viciſsim polliceri auſim, effecturum me vt fatearis non aduerſari S. Auguſtinum Sorbonicæ cenſuræ*, &c. Qui hæc legerit, Vincenti, quo nomine tuam illam criminationem appellabit, quâ confidentiſſimè aſſeris, me Auctores illos eo conſilio produxiſſe, vt *in aduerſa contra S. Auguſtinum acie me conſtituerem?*

Diſputationis noſtræ libro 2 in Proluſ. §. 2.

Quò progrederis longiùs, hoc audaciùs calumniaris. Tot ferè *Epilogi* tui calumniæ, quot lineæ. Ais Doctori tuo *falſo impoſitum eſſe*, quòd ex eius opinione ſequatur:

Patrem

Patrem & filium ex electione ſpirare Spiritum Sanctum, Ampliùs dixi: nempe ex eiuſdem ſententia certò colligi, Patrem ac Filium habere in poteſtate ac dominio productionem Spiritus ſancti: quódque Catholicæ aures refugiunt, liberum iis eſſe ab ea productione ceſſare. Neque verò id dixi tantùm, ſed tam apertis rationibus demonſtraui, vt vel eas attingere formidaris. Omnium hæc ſumma: Docet libertatem definiri: *Poteſtas & dominium quo voluntas actum producit ſi vult, non producit, ſi non vult*. Vnde cùm amori beatifico naturali neceſſitate profuſo libertatem tribuat, Ait *abruptionem & ceſſationem illius voluntatis eſſe in poteſtate Beatorum, quia fit cùm volunt: ſed ſi non velint defectus oritur ex voluntate, non poteſtate:* adeóque contendit eſſe *liberam electionem reſpectu amoris beatifici:* Atqui libertatem pariter adſcribit productioni Spiritus ſancti; Igitur hæc omnia illi quoque tribuere debet. Hoc tibi ſoluendum ante fuit, Vincenti, quàm me doctori tuo impoſuiſſe ſucclamares.

Diſputationis noſtræ libro 6. c. ſect. 2. & 4.

Nouus Doctor lib. 6 de gratia Chriſti cap. 10. & 35.

Pergis tamen: *Nonne fraudulentum eſt*, inquis, *eius verba (quod facis Ricarde) ſic truncare, vt videatur S. Auguſtinum Pontificibus è cathedra definientibus præferre, aut æquare?* Qui locum ipſum adierit, atque hæc præcipuè eius verba expenderit: *Quid ergo ad propoſitionem quam proſcripſit Apoſtolica ſedes? Hæreo, fateor. Sed quid ad Doctrinam Auguſtini?* intelliget profectò & me nihil affinxiſſe Doctori tuo, & te ab eodem hauſiſſe ſpiritum illum, quo ſcribis libro 2. cap. 7. *Pium V. & Gregorium XIII. ſua decreta obſcuriùs, quia eloquentiâ Philoſophorum, ab aliquot iam ſæculis in Scholas Theologicas introductâ, edere.*

Nouus Doctor lib 3. de ſtatu puræ nat. cap. 12.

Poſtremò inuidioſiſſimè criminaris ſcriptum à me Ducem tuum *ne tentaſſe quidem libro 3. cap. 20. de ſtatu puræ nat. explicare, quomodo Deus eſſet laudandus, ſi ignorantia & difficultas eſſent primordia hominis naturalia:* aíſque *expreſsè illum ſcribere: Deum in iſtis naturæ primordijs adhuc eſſe laudandum, Dei naturam non eſſe mixtam cum gente tenebrarum, Deum à Creaturæ ſic conditæ peccatis eſſe*

remotiſſimum. Quod felix fauſtúmque ſit: tandem Signiferi tui verba nobis opponis. Hoc à te alijs in quæſtionibus fieri attinebat; Quanquam ſatius fuit ea premere, quàm inſidiosè adeo & perperam adhibere. Egóne vnquam negaui Principem tuum aſſerere; Deum in illa hypotheſi eſſe laudandum? Vnum id affirmaui non explicare, quomodo eſſet laudandus. Verba mea ſunt: *At quomodo etiam laudandus eſſet, oſtendere ne conatur quidem. Et verò quomodo id oſtenderet, cùm Deum in eadem hypotheſi peccati auctorem futurum eſſe contendat?* Negas eum pugnare, Deum peccati auctorem futurum ſi ignorantia & difficultas eſſent à natura inſitæ? Non potes: cùm id toto libro contendat. Vis igitur ab eo doceri, Deum etſi peccati auctor ſit, eſſe laudandum. Quæſo te eius verba recita, quibus iſta duo componit. Tu ipſe hic ingenium experire tuum: celebrem illam S. Auguſtini ſententiam cum dogmate veſtro concilia: *Quamuis ignorantia & difficultas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus Deus, ſed laudandus eſſet.* Vlciſcere quod eodem loco ſcripſi hoc vno teſtimonio labefactari nouam opinionem, eiúſque Patriarcham in eo diſſoluendo ita ſe torquere & vexare, vt nunquam viderim illuſtriorem aliam hominis cum aperta veritate luctantis imaginem. Hæc, inquam, vlciſcere, & hunc locum vel explica dilucidè, vel ab Antiſtite tuo rectè expoſitum eſſe demonſtra. Hoc ſi feceris, ingenioſum te & ſolertem prædicabo.

Diſputationis noſtræ libro 2. cap. 2. ſect. 1. §. 2.

SECTIO III.

Vincentij fraudes.

INdignaberis Vincenti ſi opus tuum fraudibus & fallacijs intertextum dixero: verumtamen dixero. Nam ſeu Principem defendis tuum, ſeu nouam ipſe procudis opinionem, ſeu noſtram impugnas, inſidiosè ſemper ac mala fide agis. Nullum eſt huius reſpõſionis caput, quod

iſtud non probet, téque inſignis alicuius infidelitatis non conuincat. Superant nonnullæ, quæ cùm ad ſuperiora reuocari capita non potuerint, huc promiſcuè ac ſine ordine referentur.

Non probas quod ex S. Thoma 1. p. q. 82. art. 1. docemus: *Sumus Domini noſtrorum actuum ſecundùm quod poſſumus hoc vel illud eligere. Electio autem non eſt de fine; ſed de ijs, quæ ſunt ad finem. Vnde appetitus vltimi finis non eſt de his quorum Domini ſumus.* Vis & huius appetitus nos eſſe dominos. Quam in rem illud Ariſtotelis recitas ex Libro 3. Ethic. cap. 8. *Actionum à principio ad finem ſumus Domini, cùm ſingula cognoſcamus:* Pugnáſque his verbis doceri: *Finis intentionem & medij electionem ſubeſſe libertati voluntatis.* Verùm quâ fide? cum meridiana luce clarius ſit eo loci, quem fœdè truncas, non agi de intentione finis & electione mediorum: ſed de actu & habitu: quos hoc diſcrepare ait, quòd habitus quidem libera voluntate ſuſcipiatur, at non continuetur: actus verò & ſuſcipiatur liberè & liberè continuetur. Eius verba ſunt: *Non ſimili autem modo actiones voluntariæ ſunt atque habitus: actionum enim à principio vſque ad finem Domini ſumus, cùm ſingula quæque cognoſcimus; at habituum principij tantùm ſumus Domini: ſingulorum autem additio non cognita: quemadmodum in ægrotationibus: quoniam tamen in noſtra erat poteſtate vel ita, vel non ita vti, etiam habitus ipſi voluntarij ſunt.* Quæ etſi clara ſunt ipſa per ſeſe lucem tamen accipient ex S. Thomæ interpretatione lectione 13. in lib. 3. Ethicor. *Aliter*, inquit, *ſunt voluntariæ operationes, quàm habitus; quia nos ſumus Domini operationum à principio ad finem: dummodo ſciamus circunſtantias ſingulares. Sed Domini habituum nos ſumus à principio, poſtmodum autem nobis ignorantibus adijcitur áliquid in generatione habituum. Sicut etiam accidit in ægritudinibus creatis ex voluntarijs actibus. Sed quia à principio erat in poteſtate noſtra vt ſic vel non ſic ageremus, propter hoc ipſi habitus dicuntur voluntarij.* Satin' clara &

Vincentius lib. 1. cap. 21.

perſpicua Ariſtotelis ſententia? Quæ eſt igitur fides tua, hæc eius verba ita truncare, vt tibi fauere videantur affirmanti: *nos appetitus vltimi finis dominos eſſe?*

Vincentius libro 1. cap. 6. ſect. 2.

Non diſſimili fallaciâ vteris, cùm illud Eccleſiaſtici expendis ex cap. 15. *Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Nam vbi de *homine tantùm ſtante, & recèns à Deo creato* hæc verba interpretatus es, ſubdis: *Sed hoc etiam dicit Caluinus, inquit Ricardus. Quid deinde dicit etiam Patrem generare filium in Diuinis. An idcirco poſthac id negabis?* Fidem hîc tuam, Vincenti. Dixíne vnquam idcirco præcisè repudiandum iſtud eſſe, quòd à Caluino vſurpetur? Fateor multa nos Hæreticis aſſentiri, nec quidquid illi dixerint continuò abdicandum eſſe. Sed quæ in ipſo cum Catholicis conflictu ita docent, vt propriè ſua profiteantur non reclamantibus Catholicis, immo eadem ipſa omni conatu oppugnantibus, ea profectò erroris ſuſpicione non vacant. At eiuſmodi eſſe quod ex Caluino hîc arripis demonſtraui. Audi citatum à me locum Danielis Chamieri Caluiniſtarum anteſignani: *Supereſt*, inquit libro 3. cap. 14. *Eccleſiaſticus cap. 15. Deus ab initio conſtituit hominem: & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua: appoſuit tibi aquam & ignem &c. Et hæc ſanè tam ſunt apud Papiſtas pro certis ac liquidis, vt nemo ſit, qui ad hanc controuerſiam non habeat in ore. Reſpondet Caluinus loqui de ſtatu primi hominis ante lapſum.* Catholici verò qui cum iiſdem Hæreticis manus conſeruêre illud ipſum acriter oppugnant, atque hæc Eccleſiaſtici verba ad hominem etiam corruptum pertinere defendunt. Ita Iodocus Clhithouæus in decretum Concilij Senonenſis de libero arbitrio, Franciſcus Horantius lib. 1. aduersùs Caluinum cap. 44. Andreas Vega libro 2. cap. 13. Bellarminus libro 5. de gratia & libero arbitrio cap. 22. Dominicus Soto libro 1. de natura & gratia cap. 15. & Gamachæus in 1. 2. quæſt. 13. capite 5.

Inſtant Hæretici, inquit, *locum Eccleſiaſtici ſuperiùs citatum intelligi de prima hominis creatione ante lapſum, & probant ex his verbis: Deus ab initio conſtituit hominem in manu conſilij ſui. Ab initio, inquiunt, id eſt antequam peccaret; ac proinde nihil ſpectare ad propoſitum, vbi agitur de ſtatu naturæ corruptæ. Reſpõdemus quidquid ſit de iſta interpretatione, tamen negari non poſſe quin locus adhuc intelligatur de homine poſt peccatum*, &c. Non eſt hæc igitur opinio tua ex earum numero, quas Catholici pariter & Caluiniſtæ vno conſenſu amplectuntur. Sed ad eas pertinet, quas ipſi tanquam proprias tuentur acriter, Catholici verò tanquam periculoſos exagitant. An eiuſmodi eſt quod de Filij generatione opponis? An illud Caluinus tãquam proprium dogma ſibi vindicat? An qui cum illo congrediuntur Catholici iſtud oppugnant? En fidem tuam: En candorem.

Liquet ex citato Gamachæi loco Caluiniſtas à Catholicis non vexari, quòd illum Eccleſiaſtici locum homini innocenti accommodent; ſed quòd ad vitiatum pertinere nolint. Hinc vaferrimi Caluiniſtæ Danielis Chamieri fraus & fallacia retegetur, qui Catholicis obijcit auctorem Hypognoſtici libro 3. cap. 2. hunc Eccleſiaſtici locum de primo homine interpretantis: quaſi negarent Catholici hæc ad primum hominem ſpectare, nec difficultatis cardo in eo eſſet poſitus an ad lapſos quoque pertineant. Neſcio an hîc Chamieri dolus Vincentio ſuboluerit, at eadem arte nos oppugnat: *Vide*, inquit, *quàm cæcus & præceps ſis Ricarde, qui non circunſpicis an non alij idem doceant, quibus aliquanto amplius quam Caluino deferre debes. Certè enim auctor Hypognoſtici ſi non Auguſtinus, totus tamen Auguſtinianus*, &c. Non negamus Vincenti, Eccleſiaſtici verba peculiari quadam ratione primo homini tribui poſſe, ſed cum Doctoribus Catholicis aduerſùs Caluinum defendimus homini quoque corrupto congruere. Quod profectò auctor Hypognoſtici non negat, nec S. Auguſtino reluctatur hominis la-

pſi libertatem ex eodem loco ita colligenti libro de natura & gratia cap. 2. *Reuelauit autem nobis per ſcripturas ſuas ſanctas eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium*, &c. *Liber Eccleſiaſticus dicit: Ipſe ab initio fecit illum & reliquit illum in manu Conſilij ſui. Si volueris ſeruabis mandata*, &c. Tum addit: *Ecce apertiſſimè videmus expreſſum humanæ voluntatis arbitrium.* Malâ igitur fide agis: ſiue cùm nobis, perinde atque Chamierus Catholicis, auctorem Hypognoſtici obiectas, quaſi negaret, quod huius quæſtionis eſt caput, hominis quoque lapſi libertatem ab Eccleſiaſtico deſcribi: ſiue cùm hîc prætermittis S. Auguſtini verba, quibus manifeſtæ falſitatis arguitur hæc tua reſponſio, quâ *illum Eccleſiaſtici locum de homine tantùm ſtante, & recèns à Deo creato* explicari vis, *nec ad hominem lapſum extendi.*

Aliud eiuſdem notæ candoris tui exemplum ſequitur. *Accedat*, inquis, *D. Thomæ etiam auctoritas. Ait* 1. 2. *q.* 109. *a.* 8. *ad* 3 *Dicendum quod ſicut Auguſtinus dicit in Hypognoſtico verbum illud Eccleſiaſtici* 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: intelligitur de homine ſecundùm ſtatum naturæ integræ, quando nondum erat ſeruus peccati; vnde poterat peccare, & non peccare.* Tum addis: *Quid ais iam Ricarde? Anne tibi os ſatis durum, vt S. Thomam etiam Caluiniſtam appelles, quia locum illum ſcripturæ ſicut Caluinus interpretatus eſt.* Si quam nomine tenus præfers lenitatem, re ipſa non profiterer, vt te hîc defricarem Vincenti, vt illam *oris* tui *duritiem* contunderem! Geminâ itidem infidelitate lectoribus imponis: nam & fingis S. Thomam hæc Eccleſiaſtici verba ita ad hominem primum accommodare, vt cum Caluino neget iiſdem hominis lapſi libertatem exprimi: & alia S. Doctoris teſtimonia à nobis indicata diſſimulas, quibus liberum hominis vitiati arbitrium eodem Eccleſiaſtici loco deſcribi teſtatur. Vtrámque fraudem hanc tuam ſigillatim excutio.

Primam quidem integer S. Thomæ locus apertè de-

monſtrat.: Neque enim quam hîc tractamus controuerſiam agitat, ſed id quærit vnum: *Vtrum homo ſine gratia* habituali *poſſit non peccare.* Quam quæſtionem ita diſceptat: *Dicendum, quòd de homine dupliciter loqui poſſumus. Vno modo ſecundùm ſtatum naturæ integræ. Alio modo ſecundùm ſtatum naturæ cor. . . tæ. Secundùm ſtatum quidem naturæ integræ, etiam ſine gratia habituali poterat homo non peccare nec mortaliter nec venialiter: quia peccare nihil aliud eſt, quàm recedere ab eo, quod eſt ſecùndùm naturam, quod vitare homo poterat in ſtatu naturæ integræ: non tamen hoc poterat ſine auxilio Dei in bono conſeruantis, quo ſubſtracto etiam ipſa natura in nihilum decideret. In ſtatu autem naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali ſanante naturam ad hoc, quod omnino à peccato abſtineat.* Cum tamen obijceretur contra: *Eccleſiaſtici* 15. *dicitur: Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi: ſed aliquis peccando non deſinit eſſe homo: Ergo adhuc in eius poteſtate eſt eligere bonum vel malum, & ita poteſt homo ſine gratia* (habituali) *vitare peccatum.* Reſpondet, eum locum, ſi ita explicetur, ad primum tantùm hominem pertinere. *Dicendum*, inquit, *quòd ſicut Auguſtinus dicit in Hypognoſticon verbum illud intelligitur de homine ſecundùm ſtatum naturæ integræ, quando nondum erat ſeruus peccati, vnde poterat peccare & non peccare:* nempe, etiam ſine gratia habituali, vt tum ex obiectione, tam ex ipſa concluſione patet. Aliud igitur nihil S. Thomas innuit, quam Eccleſiaſtici verba, ſi peculiari illo ſenſu exponantur, primo tantùm homini eſſe accommodanda: Quod vltro profitemur. At non negat, quod vnum hîc agitur, quódque præfractè cum Caluino inficiaris, eadem verba, ſi in peruagata notione accipiantur, quâ liberum arbitrium, ſeu voluntatem ſimplici neceſſitate expeditam ſignificant, ad hominem quoque vitiatum pertinere.

Et verò quî id negaret, cùm eadem ſæpe adhibeat, vt liberum hominis corrupti arbitrium nullâ conſtringi ne-

ceſſitate probet. Tu hæc eius teſtimonia, quæ eſt altera fraus tua, callidè diſſimulas, quòd & opinioni veſtræ incommodent plurimùm, & te probroſæ infidelitatis accuſent. Quid enim apertius hic verbis, quibus q. 6. de Malo art. vnico *hominem non ex neceßitate eligere* confirmat? *Dicit Eccleſiaſt. 15. Deu* [illegible] *initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſily ſui. Hoc autem non eſſet, niſi haberet liberam electionem; Ergo homo habet liberam electionem ſuorum actuum.* Eadem repetit quæſt. 24. de veritate art. 1. & 1. parte quæſt. 83. art. 1. Audes tamen S. Doctorem opinionis illius patronum appellare, quâ, hominis vitiati libertatem his Eccleſiaſtici verbis deſcribi negas? Audes & mihi ſic inſultare? *Quid ais iam Ricarde? Anne tibi os ſatis durum, vt S. Thomam Caluiniſtam etiam appelles, quia locum illum Scripturæ ſicut Caluinus interpretatus eſt?* Tibi verò Vincenti, *anne os ſatis durum eſt*, vt aſſeras S. Thomam & Caluinum in eandem huius loci interpretationem conſpirare? cùm Caluinus neget hinc liberam hominis corrupti electionem probari: Sanctus verò Thomas indidem ſæpe colligat, hominis lapſi voluntatem & libera electione præditam, & ſimplici neceſſitate expeditam eſſe? At eadem verba itidem atque Caluinus homini tantùm Innocenti tribuit. Fateor: ſed alio longe ſenſu. Nam ea Caluinus de libera electione interpretatur, cùm primi hominis propria eſſe contendit: Sanctus verò Thomas eadem hoc explicata ſenſu ad lapſum etiam extendit: nec vnquam homini ſtanti peculiariter adſcribit, niſi alio quodam in ſenſu, qui nec à Caluino vſurpatur, nec ad hanc controuerſiam pertinet.

Satin' haſtenus demonſtraui, quid tu hominis ſies? Satin' fidem tuam, candorem, ingenuitatem patefeci. Poſſem ex eodem capite plura exempla repetere: ſed cùm in ijs Petauium maximè inceſſas, tibi impune non erunt.

SECTIO

SECTIO IV.

Vincentij nugæ.

VIx eſt, vt qui ſe Theriacæ venditorem profitetur, circulator idem non ſit, populúmque frigidis facetijs non moretur. Vincentianæ Theriacæ condimenta nugæ atque ineptiæ ſunt. Hoc non mihi, Lector, ſed oculis tuis crede. Sumo Vincentij Theriacam in manus. Commodùm occurrit locus ille, quo eleuandas ſuſcipit rationes duas, quibus defendo veram & legitimam eſſe Cenſuram Sorbonicam, quæ libro meo argumentum ſuppeditauerat. Prius argumentum hoc fuit: *Si adulterina eſt illa Sorbonæ Cenſura, quomodo in ſacræ facultatis tabularium irrepſit?* Quid reſpondebit homo lepidus & elegans? *Puer*, inquit, *reſpondere poſſit, in facultatum archiuis iacere aut volitare innumeras huiuſmodi chartas neglectas,*

Vt thuris piperíſque ſint cuculli.

Verè id à te dictum eſt, Vincenti; *puer id reſponderet.* At virum Theologum id ſuſpicari; probrum eſt. Credideramus ad hanc diem vix quidquam religioſiùs atque ſanctiùs cuſtodiri ſacrarum Facultatum tabularijs. Vincentius noſtro nos errore liberat; difflat ſchedas illas omnes, vt in antro Cumæo fatidica Sibyllæ folia leuiſſimo halitu rapta volitabant, amandat illas

Ad vicum vendentem thus, & odores,
Et piger, & quidquid Chartis amicitur ineptis.

Ita, ſi te audimus, iubebuntur deinceps ſalſamentarij, pigmentarij, vnguentarij, & omnis propolarum natio mercibus ſuis cucullos & inuolucra in ſacrarum Facultatum tabularijs quærere; ſuppeditandas hinc ipſis *chartas ineptas*, quibus tanquam ſegeſtribus vtantur: affatim Cenſurarum eſſe, quæ

Cordyllas madidâ tegant papyro.

Vides, mi Lenis; quàm frigidè, quámque in res, quæ tibi verendæ eſſe debuerant, contumelioſè ſis iocatus. Si tam malè de Cenſuris Louanienſibus ſentis, neque matris tuæ dedecus efferri à te par fuit, neque Sorbonicas ex ijs æſtimare debuiſti.

Non minùs inſulsè rationem aliam excipis. *Si adulterina Cenſura eſt*, inquiebam, *cur ex quo exire cœpit in lucem & volitare per Galliam non reclamat ſacra Facultas, eámque contrario decreto non reſcindit?* Quid dici à me probabilius & æquius potuit? Non acquieſcit tamen Vincentius, ſed nugari, quàm tempeſtiuè tacere mauult. *Scis*, inquit, *quàm nec volet nec volitet, ſed ſpretus ac infamis lentè per paucorũ manus Petauij liber cum ſua appendice pſeudocenſura repat*. Debuiſſes hîc iterũ repetere, Vincenti, id, quo veluti firmamẽto ſuperiorem reſpõſionem corroboraueras: *Puer hoc reſponderet*: Nam putidæ illæ ac dilutæ nõn calumniæ, ſed puerorũ næniæ ſunt. Spreti, ſi ſuperis placet, & infames ſunt Petauij libri! Cui perſuadere hoc poſſis, neſcio: quis hoc dum apud te legeret abſtinere à riſu potuerit, neſcio: hoc ſcio à litteratis omnibus honoris causâ Petauium appellari: ab inuidis ipſis ſummam illi laudem eruditionis vltro deferri: ab extraneis quibuſque, remotiſſimis ex terris per litteras ſæpe de omni parte doctrinæ conſuli: eò penetraſſe ipſius libros: honorificè ſeruari in Bibliothecis omnibus, neque vllam eſſe nominis alicuius, quæ ſe inſigni parte mutilatam non crederet, ſi Petauij libri ſibi deeſſent.

Deinde, fac ſpretum & infamem Petauij librum iacuiſſe, fac ſuâ imperitiâ & barbarie eruditis omnibus fuiſſe inuiſum: an aſſerueram ego volitaſſe Cẽſuram illam per Petauij librum? Volitauerat in futili libello *Conſiderationum*, quo nullus erat aptior ad volandum, cùm nullus eſſet leuior: volitauerat in manuſcriptis, quæ vel excerpta è Sorbonæ tabulario, vel Louanio miſſa fuerãt; volitauerat in libello, quo eam confutandam Baius tum temporis ſuſcepit; cuius expoſtulationibus clamoribúſ-

que moueri Sorbona non potuit, vt Cenſuræ illi ſuæ derogaret. Fatetur certè idem Baius in epiſtola tunc ad Patrem Antonium Sablonium Franciſcanum data, Cenſuram illam toto Belgio volitaſſe. Cuius hîc, ne quid à me fingi queraris, partem aliquam deſcribo.

HONORANDO PATRI ANTONIO SABLONIO NVPER IN PARTIBVS FLANDRIÆ PROVINCIALI FRATRVM MINORVM.

ACceptis nuper Cenſuris, quæ paſsim in Belgio nomine Sorbonæ Pariſiẽſis in octodecim propoſitiones circumferuntur, & quæ partim verè, partim calũnioſè, vt intelligo, quibuſdam veſtris Fratribus aſcribuntur, Honorande Pater, diu hæſi ſuſpenſus quid facerem, an omnino tacerem, an breuiter oſtenderem in his Cenſuris nonnulla contineri manifeſtæ veritati contraria. Ad tacendum hortabatur tam antiquæ, tam numeroſæ Facultatis veneratio, quam rebus in Gallia turbatis ob nonnullos infirmos illæſam ſeruari cupiebam; ne forte Hæretici noſtro ſtudio abuterentur ad perſuadendum populo, quòd etiam pro fide differens audienda non eſſet, ſi in harum propoſitionum nonnullis palam erraſſe oſtenderetur. Tum ſub finem: *Pauca quædam adnotaui, tam circa propoſitiones, quàm circa Cenſuras earumdem, quæ ſi tibi probabuntur, V. P. poteris eis legenda permittere, quibus iudicabis ſine cuiuſquam iniuria poſſe prodeſſe.*

Et cauſaberis adhuc Cenſuram illam vel fictitiam eſſe, vel paucorum factione conflatam? Non eſſe recenti fraude confictam Baianæ expoſtulationes probant: à Facultate vniuerſâ & latam & approbatam deinde fuiſſe, demonſtrat conſtans ipſius atque diuturnum inter tot querelas ſilentium. Itaque tricari in re tam plana voluiſſe, quid aliud quàm nugari fuit?

Vis exemplum aliud, Lector, indolis in nugando miſerabiliter infectæ? Poſtquam curtam ratiuncularum ſupellectilem fructra conſumpſit, confugit tandem ad canis ſui auctoritatem, eiúſque veluti pondere nos op-

Lib. 1. cap. 22. primere meditatur. *De noſtro quoque cane*, inquit, *hoc dicere poſſum, quod nuper expertus. Os è menſa ei obieceram, & iam rodere incœperat. Alterum deinde ipſi adijcio. Sed eo olfacto mox ad prius redijt. Nonne hîc indifferentiam appetitus inter duo illa oſſa, imò quaſi deliberationem quandam, & tandem determinationem ad illud, quod melius videbatur, clariſſimè cernimus?* Næ tu canem habes eximiè Philoſophum: quin tu eum cum Buridani aſino committebas? Par dignum illud eſſet pugilum, inter quos de tua Philoſophia certaretur.

Quantum verò inſtar eſt in cane illo tuo, quem nobis iterum citas, non iam oſſe vt priùs, ſed offâ liberaliùs à te donatum. Cùm enim dictum eſſet à me Catholicos aduersùs Caluinum certātes obſeruare, libertatem non arctiore illâ notione, de qua inter nos eſt in præſenti controuerſia, ſed ampliore quadam & minùs accurata, cum *Spontaneo* nonnunquam à Patribus confundi; tu canem iterum tuum ſubſidio aduocas; eiúſque auctoritate fretus ſic in me animaduertis; *Sed, amabo te, noli rem tam ridiculam amplius dicere. Sic enim canis in voranda offa liberrimus eſſet, vorat enim libentiſſimè.* Frigidam hanc argutiam ſuprà diſcuſſi; hîc locum ipſi inter nugas tuas dare ſatis habui, vt inſulſitatem tuam iterum reguſtares. Ne querere tamen; proderit tibi errata tua tanquam in ſpeculo noſſe; neque minorem mihi gratiam habebis, quòd eorum tibi prodiderim nonnulla, quàm quòd lectores plura celauerim.

RESPONSIONIS CLAVSVLA AD VINCENTIVM.

SAtis hæc ad inſtitutum, meum, Vincenti, futura viſa ſunt. Potuiſſent etiam pauciora ſufficere, & dedocendis Lectoribus tuis, ſi qui ſunt forte deluſi; & tibi in viam reducendo, ſi errare non amas. Non amas autem, qui iam ſuſceptæ doctrinæ partem ingenuâ profeſſione abdicaueris, cùm illius tibi flagitia comperta eſſe cœperunt: neque immeritò ſperare poſſe mihi videor, futurum, vt cùm fax hæc altera plenius tibi lumen attulerit, à capitibus cæteris pari candore diſcedas. Macte, Vincenti, cùm tam feliciter cœperis, laudem facti mediam tuliſti; ſed mediam, & pleniore palinodiâ cumulandam. Quid regionem illam propugnare cogitas, cuius arcem deſeruiſti? Quid eſt, quòd deoſculari pergas doctrinam, cuius caput tam deforme tibi viſum eſt? Putas ſalubres fore riuulos, quorum fontem infectum peſtilentémque agnoueris? Eſt mihi crede lues eadem per omnes operis fuſa partes; neque poteſt ſanum & integrum quidquam à vitiata radice proficiſci.

Quid dubitas? Quid formidas? Ne partium tuarum incurras offenſionem? Iam ſubijſti totam, cùm eiuratâ præcipuâ ſacramenti parte, defectionis ſignum ſuſtuliſti. Ne ignominioſum tibi ſit dicta tua retexere? Iam incœpiſti, atque hoc in te laudatur vnum. Ne te leuiculum & inconſtantem criminemur? Nunquam crimini datum eſt à vitio reſilire: Nihil eſt conſtantiæ magis aduerſum errorum omnium nutrice peruicaciâ. Inconſtantiæ fuit, quòd auitas de Theologia opiniones abieceris: conſtantiæ pars erit reconciliari cum ijſdem: ijs denique perpetuò adhæreſcere laus conſtantiæ conſummata. Abſterges hoc facto labes omnes, quæ ab huius inuidia nouitatis allitæ nomini tuo inſederunt. Habes multorum Eccleſiæ Patrum exempla, quæ imiteris: habes dome-

ſticum Michaëlis Baij, qui cùm errandi vobis dux fuerit, poteſt idem reſipiſcendi auctor eſſe. Is, non ſatis habuit, cœtu frequentiſſimo, in ſchola Theologica ſacræ facultatis Louanienſis anno 1580. 21. Martij errores ſuos, qui maximam partem ſunt tui, à Pontificibus duobus Pio V. & Gregorio XIII. damnatos agnoſcere, & eiurare, acclamantibus ore vno Doctoribus & Academicis vniuerſis, *Articulos damnamus, Bullam recipimus, obedientiam pollicemur*; conſignauit quoque ſcripto palinodiam eandem, vt poſteritati conſuleret. Miſſum eſt ad ſummum Pontificem illius profeſſionis exemplum, quod hîc tibi ad imitandum propono.

Ego Michaël de Baij Cancellarius vniuerſitâtis Louanienſis agnoſco & profiteor, me ex varijs colloquijs & communicationibus habitis cum R. P. D. Franciſco Toleto Concionatore ſuæ Sanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo, ſuper diuerſis ſententijs & propoſitionibus iam olim à Sanctiſſimo Domino noſtro Pio V. felicis recordationis ſub data Kalendarum Oct. Anno MDLXVII. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo ſub data quarto Kalendas Feb. Anno MDLXXIX. iteratò damnatis & prohibitis, ita motum & eò perductum eſſe, vt planè mihi habeam perſuaſum, earum omnium ſententiarum damnationem, atque prohibitionem iure, meritóque ac nonniſi maturo iudicio, & diligentiſſima excuſſione præmiſſis factam atque decretam eſſe. Fateor inſuper plurimas ex ijſdem ſententijs, in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam ſedis Apoſtolicæ ſuper ijs Cenſuram, conſcriptis, & in lucem editis contineri, & defendi, ETIAM IN EO SENSV IN QVO REPROBANTVR. *Denique declaro me in præſentiarum ab ijs omnibus recedere, & damnationi à ſancta ſede factæ acquieſcere, neque poſthac vllas docere, aſſerere, aut defendere velle. Actum Die Vigeſima quartâ Martij Anno MDLXXX. Michaël de Baij.*

Fuit Baius ingenij doctrinæque laude cumprimis clarus; ſed hoc modeſtiæ exemplo illuſtrior. Probroſum illi fuit Romanis oraculis damnatum eſſe: at ſe ipſum

damnaſſe longè glorioſiſſimum. Malè meritus eſt de Eccleſia cum doctrinam ſuam publicauit, perſuaſitque plurimis, qui ad eam pertinaciùs adhæſerunt: ſed iniuriam hanc vindicauit ipſe inſignioribus officijs, cùm Academicis plurimis contumaciùs reſiſtentibus, præiuit obſeruantiæ atque religionis exemplo; quo effectum eſt vt conſpirantibus omnes animis proſcriberent damnatas opiniones, & ſacræ Facultatis decreto caueretur, nequis in ipſam cooptari deinceps poſſet, niſi qui iuraſſet ſanctiſſimè, nunquam eas à ſe docendas, edendas in publicum, aut quoquo modo defendendas. Ita diu ab hac labe puram ſe Louanienſis Academia ſeruauit, donec ab Anteſignano veſtro recocta & recuſa eadem dogmata prodierunt. Inſtauratis ab eo Baïanis erroribus, inſtaurata quoque ſunt ab Vrbano VIII. Romana in eos fulmina; quibus te partium illarum hodie Principem, Vincenti, non minùs quàm Baium olim tuum terreri par eſt. *Secutus es errantem, ſequere pœnitentem.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM eſt authoritate Regis ne quis in regno ſuo, aliiſue locis ſuæ ditioni ſubiectis intra decem proximos annos, librum qui ſic inſcribitur *Antonij Ricardi Theologi Reſponſio ad obiectiones Vincentianas*, abſque Sebaſtiani Cramoiſy Architypographi regij permiſſu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium, qui ſecus fecerit mulcta indicta, prout amplius in diplomate regio continetur mulctabitur, Datum Pariſijs 4. Nouembris 1647.

Sic ſignatum, CEBERET.